DE FVGIENDIS NOSTRI SECVLI IDOLIS, NOVISQVE AD VNVM OMNIBVS ISTORVM Euãgelicorum dogmatibus, nefarijsq; irreligiosorum quorundã moribus, religiosa, piaq; ad omnes vbiq; Christianos, piosque inprimis Concionatores admonitio:

Auctore VVilhelmo Damasi Lindano, Ecclesiæ Ruremundens. Episcopo.

CVI AVCTARII LOCO ATTEXTA est popularis Apologia, qua Ecclesia Christi Catholica defenditur aduersus insanas, immò Sycophanticas adeoq; Sathanicas hæreticorum Calumnias, quod Idololatrica sit, aut meretrix Babylonica, aut deniq; Baalitico Imaginum, Sanctorumq; cultu contaminata, & quod ore impurissimo sacrilegi blaterant, prophanata & constuprata.

COLONIÆ

Apud Maternum Cholinum.

M. D. LXXX.

Cum Approbatione.

D. Iohan. Apost. Iesu Christi Cap. 5.
τέκνια φυλάξατε ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν εἰδώλων.
Filioli custodite vos ipsi ab Idolis.

D. Hieron. in Comment. in Osee 11.

Singuli hæreticorum habent deos suos, & quodcunq; simulauerint, quasi sculptile & conflatile colunt.

Tertullianus.

Sicuti Nationes (siue Pagani) manibus: ita hæretici verbis idola fabricantur. Omne namque mendacium, quod de Deo (rebusq; diuinis aut Christianis dogmatibus) dicunt, genus est Idololatriæ.

Accessit professio fidei Catholicæ M. Sebastiani Flaschij Mansfelden. vbi causas xxij. exponit, cur à Luthero ad Catholicos tandem transierit iam senex, licet à puero fuerit in Lutheri Synagoga & educatus, & Concionator non postremi nominis. Hinc L. C. videas Idolum Lutheri apud Germanos indubiam minari ruinam.

REVEREN-DISS. IN CHRISTO DO. ET ILLVST. PRINCIPI, D. ERNESTO, ECCLESIÆ HIL-*desheimensis & Frisingensis Episcopo, ac vtriusque Bauariæ Duci, &c. VVilhelmus Damasi Lindanus Episcopus Ruramundensis Salutem à Christo Iesu perpetuam.*

Reuerendissime Domine, & Illustrissime Princeps.

INTER præclara Domini Dei Elogia, quibus Diuus Paulus eximius diuinæ bonitatis Encomiastes, laudes eius assiduus depredicabat, nullum est, quod meo quidē videre, plus pijs & afflictis Dei filijs afferat, & quasi copiosiore affundat copiæ cornu solatij verè solidi, quā illud, quo ipsum suis charissimis in Christo Neophytis Corinthijs commendat, Patrem mise-

ricor-

ricordiarum,& Deum omnis cõſolationis. Quod & ipſe in ſuis grauiſſimis perſequutionibus aſſiduis, duriſſimiſque afflictationibus ferè perpetuis, & calamitatibus tantum non quotidianis experiebatur: Ita & pij omnes, qui modo ad illius exemplum ab vno & ſolo Deo pendent, & cum Dauide in adiutorio altiſſimi habitant ſibi feliciter, in tetrico licèt exilio agentibus non poſſunt nõ gratulari. Cùm enim seriò apud ſe pij expendunt, & oculatiori ſtudio preſſius animaduertunt vniuerſa, quæ currente huius miſellæ ac breuiculæ vitæ rota, ipſis ex certo diuinæ prouidentiæ, ſine qua ne pilus quidem capitis defluat, decreto ipſis eueniunt, perſpicuè vident, etſi dura nonnunquam premuntur cruce, fortunaque interim exercentur aduerſa ſimul & aſpera, non exigua tamen, nec obſcura, nec iniucunda ſubinde ſibi offerri ſolatij ſpiritualis argumenta. Quibus efficitur vt animum paſcant; imò impleant gaudio, quod à Deo, quem D. Paulus hac de cauſa omnis conſolationis vocat authorem, magna in præſen-

ſentium ærumnarum tetricarum quidem illarum mitigationem, & quaſi condulcorationem proficiſcitur pietate, atque paterna oboritur benignitate.

Huius ſolatij reuera cæleſtis (quod omnem ſapore mellifluo vincit Ambroſiam, & nectar omne ſua inexpertis incredibili longiſſimè ſuperat dulcedine) ſi me dixero durante hoc ſolidorum X. menſium (poſtquam nos omnibus huius vitæ facultatibus ſpoliatos diuina prouidentia internecinis hoſtiũ infeſtiſſimorũ eripuit odijs, ac præſentiſſimis periculis) triſtiſſimo exſilio expertem fuiſſe, verus minimè fuero.

Cùm ſuperiore æſtate varijs Reuerendiſſ. Domini Nuncij Apoſtol. D.D. Philippi Seghæ Ripenſis Epiſcopi literis fuiſſem in Aulam Illuſtr. D. Iohannis Auſtriaci euocatus, meis domi cõpoſitis Eccleſiaſticis negotijs moram non ferentibus, eò me prima opportu nitate contuli. Quibus Namurci confectis, vt tunc ferebant tetrica huius Belli ciuilis ſimul, eheu vereor, & exi-

tialis exordia, ad miseras Christi Domini ouiculas hac pro virili porrò pascendas concitato turbidi, curuique Mosę defluxu reuertebar. Verùm apud eas vix duabus, aut tribus concionib⁹, occurrētibus tunc festis, per Valckenburgensem regiunculam refocillatas, maleuoli quidam istorum non tā Regis Catholici sui, q̄ Dei nostri hostium, me diutius hęrere nō patiebātur, vnde ab amicis aliquot in tempore monitus, festo S. Laurentij à concione & lōgiore visitatiōe ad Mersten. Præposituā nostrā recurrens, semipransus in fugam me componere cogor: quæ vt esset securior, in multam vsq; noctē fuit trās Mosam vsq; vrgenda, quòd milites Statibus Belgicis addicti præter minas non vulgares seuerum iactarent sese mandatum habere de me apprehendendo. Quod minimè vanum fuisse ipsa res mox consequuta loquitur, quando ministros meos 3. aut 4. captiuos, & meos colonos dicta præpositura verberatos, spoliatos, adeoque vulneratos non modò expulerūt, sed & me fructibus omnibus messis v-

ber-

berrimæ, adeoque possessione nec auditum, nec vocatum nobiles aliquot iussu & literis quorundam Abbatum N. & N. instigati expoliarunt. Rurçmundam redire nos in vicinia hærentes non sinebant pericula, non solùm itineris vlterioris prędonibus & latronibus infesti, exordiaque obsidionis Ruræmundensi oppido tunc pullulantia, sed & atrox pestis, quæ domesticos quosdam meos iam tentabat, igniique lethali absumpsit, quibus Deum precamur propitium. Proinde cum nec domum redire, nec ærumnosis Christi ouibus ad Mosæ recurui tractum degentibus liceret vlterius cælestia verbi Dei pabula impendere (cùm die Sancti Bartholomæi ad concionem transmosanam egresso in cœmeterio Ecclesiæ Roosteren. nunciabant varij, visos equites & pedites non longè illinc consistentes, vnde obsecrantes orabāt, vt me temporibus seruarem securioribus) coactus fui non leui huius animi mœrore turbatissimā, infestoque milite oppletam meam deserere Diœcesim, & ad Coloniensem

Academiam, vt ſaltem tranquillioris ocij & literati, ſimulque ſuauioris colloquij eſſet aliquid, me conferre. Vbi vt non defuit threnos Ieremiæ, plangendi materia, non vna cauſſa oborta: ita & ille Pater Miſericordiarum, & Deus omnis cõſolationis, quem ante hanc Ecbaſin diximus, ſuo nos liberaliſſimè fouit ac ſuauiſſimè refocillauit ſolatio.

Fuit hoc mihi non infeliciter natũ, cùm ex alijs pijs, doctiſque viris, quorum eruditis colloquijs, rariſq; admirandæ pietatis exemplis lętabamur: tũ ex humaniſſ. tua ſimul & ſuauiſſima Reuerendiſſ. Dom. conſuetudine: qua me & ignotũ, & nunquã de veſtra nobiliſſima familia meritũ benè, haud aliter, quã frater fratrem ſumma cõplexus fuiſti beneuolẽtia, eximijs aliquot ſingularis in nos ſtudij argumentis ſæpius conteſtata. Quando igitur Coloniæ cum lugentibus illis diuini Dauidis Prophetæ collegis ſuper contritio-
Amos 8. ne Ioſeph dolentibus, & nos triſtem illum meditaremur Threnum Prophe-
Pſalm. 138 ticum, Super flumina Babylonis ſedimus

mus & fleuimus dum recordaremur Syonis: atque illas funderemus, immò meditatione assidua recoqueremus lachrymas, libello in reformandam, suæque auitæ pietati & Canonicæ vitæ postliminio restituendam Ecclesiam Germanicam iam pridem cõflato comprehensas, En vt de improuiso Deus Opt. nos incredibili consolari dignabatur solatio. Appetebat mẽsis Nouember, qui Kalend. suas illa Sãctorum omnium solẽnitate habet festas; quæ Solemnitas vt diem suo annuo gaudio pios omnes Dei cultores, & Religiosos Sanctorum omniũ fratrum nostrorum amatores mirum in modum exhilarat: ita geminatam nobis peperit tuo ex facto lætitiam. Nam vt te muneri tuo Episcopali, quod nõ nomẽ mutum, & ignauam personam more fucorum (vt nunc ferè hominũ istorum sunt mores, prô pudor, & eheu dolor,) sed opus postulat, re ipsa redderes idoneum, voluisti tuas Christiani Sacrificij primitias in eundem diem collocare. Quod si piæ Coloniensi plebi notum fuisset, proculdubio

 milia

milia aliquot plura commendandi Deo Sacrificij huius caussa lætissimi & gratulabundi confluxissent. Ad has cùm me conuocare fuerit dignata Reuerendissima V. D. nemo facilè verbis consequatur, quantoperè animus fuerit hac spiritali lætitia perfusus: quòd ex isto exemplo sibi polliceretur, & alios inferioris loci nobiles viros ad nunquam satis laudatam Christiani Sacerdotij functionem nunc magis non solum inuitatum iri, sed planè exstimulatum.

Taceo plebeios hinc non leuiter in Religione Catholica confirmandos, cum à sanguine Cæsareo & nobilissimo Bauarorum Ducum stemmate prognatum illud in CHRISTI Ecclesia Diuo Petro Christi Iesu Vicario ante annos mille quingentos, à Beato Materno Apostolo nostro dedicata suscipere, adeoq; obire non dubitasti, videant: quod nunc temporis luctuosissimi iuxta Prophetiam Danielis (vti libro primo operis nostri

de

de virginitate fusius exposuimus) sub aduentū Antichristi illius infœlicis est Sathanica miserorum eius præcursorum opera factum populo nostro non tam misero quàm præ Apostasiæ œstro passim insano ludibrium, & publicum planè opprobrium omni abominatione sacrilega veluti magis execrandum. His suauissimus animi delicijs isthac tam pia ornatæ nostræ Religiouis Catholicæ atque Apostolicæ caussa obortis, dum nos cum electo piorum grege illic versabamur, vt alij cæca ringebantur inuidia, vt Zelo perfidiæ æstuabant, & tantum non cum Iulianis & Valentibus A A. ipsorumq́ue Satellitibus sanguinarijs (quorum infinita, ô lugendam cæcitatem, est natio) impiè subsannabant, nihil hic attinet dicere. Dabunt miseri isti, dabunt pœnas CHRISTO Iudici, qui opinione citius suas vindicabit contumelias istas, bis sacrilegas; ni in tēpore ex animo resipiscāt:

quod

quod ipsis imprecari assidui non defuimus.

Equidem vt munus tuis primitijs dignum præter frigidas preculas, votaque assidua (quò pingue, gratumque tuum fieret omnipotenti Deo Sacrificium, instar Agni illius Iudaici in Endelichismũ quotidie immolati æquo minus flagranter fusa offerrem, animo reuoluebam, ecquid potiss. Illustriss. V.D. exhibere potis essem, quo meum orbi declararem erga te studium. Quod vbi pressius voluo atque reuoluo, commodum occurrebat me in semicaptiuis scrinijs (nam studiorũ ac plutei quotidiani meliorem partẽ trans Mosam deserere coëgerat illa, quam dicebamus festinata fuga) & semilaceris aduersarijs incultam habere Apologiam in itinere autumnali natã, ideoque semiabortiuam: quæ aduersus sacrilegos Sacrificij Christiani hostes passim grassantes Idololatriæ crimine (quo isthæc misera nostra huius tempestatis afflictissimę mancipia ore Sathanæ Magistri sui digno illud non verentur infamare) tuetur, sed popula-

ri

ri oratione. Reliqua enim huius argumenti expleat Panoplia nostra suo Apologetico ad Germanos pridem scripto & Stromatum lib. 3. dudum instructa: vnde qui & locupletiora, & illustriora de Missa Christiana desiderat, licet petat.

Argumentum librorum de fugiendis huius temporis Idolis.

Cùm enim conseruandæ Catholicæ per Belgium Religionis caussa populariter ea conscripsissem capita, quibus peregrina, prophanaque ad vnum omnia nouorum istorum Magistrorum tãtis furoribus, eheu dolor, oues Christi Luporum verè Euangelicorũ more deuorantium dogmata demonstrauimus verè idola esse; quibus non Deus, sed ipse totus execrandus, omnis vt dissentionis, ita impietatis author, Sathan colitur, immò adoratur: mutilũ nobis videbatur, & Embryonis more non satis conformatum & expolitũ op⁹, ni & altera veluti man⁹ accederet: quæ adspersam pijs Catholicæ nostræ Ecclesiæ dogmatibus fœdæ Idololatriæ labem arrepta spongia detergeret. quemadmodum ex catalogo capitum horum secundi libri videre est.

Hunc

Hunc laborem populo Dei in admonitionem, vt à malo grassantis perfidiæ, quasi sagitta illa volãte in die, simul & impurè vitæ recedat, & in fide auita verè Apostolica & Catholica cõstanter perseuerans faciat bonum, nõ leui opera collectum, licet sub tegmine, licioque crassiore contextum Illustriss. V.D. dedicare gratitudinis & studij orbi declarandi caussa videbatur. Hilari ergo vultu Illustr. Princeps hoc munusculum, etsi leuidense suscipere ne graueris, oro, quod vt mihi incunctanter pollicear, facit experta mihi sæpius tua benignitas; quæ cum me ruri agens misso tuo sericato vehiculo, colloquij de sacris potiss. studijs habendi caussa, euocasset, oblata horum Libellorum capita non sine osculo excipere dignabatur.

Quo etsi nugas meas potiss. istas rudi populo rudius congestas, & incultius propter intextas varias Dæmonum nostro seculo suis mancipijs in friuolum nouorum suorum mendaciorum, quasi firmamentum apparentium historias, miraculaque

passim

passim diuinitus edita expositas equidem censeo indignas: tamen propensum Illustrissimæ Vestræ dignitatis in me studium inde non obscurè licuit intelligere: quod aliàs & verbis & reb⁹ manifestius declarare non fuit dedignata.

Siquidem apud me hæc post discessum recogitans, persuasum habeo, illud huius libelli argumentum suis distinctum capitibus Illustriss. T. D. tunc exhibitum non tam mei caussa, quàm Religionis Christianæ nostræ nomine gratum placuisse, cum tantus in te illi⁹ reluceat, miroq; splendore cum graui iudicio (quod tum ætas, tũ assidua rerum sacrarum studia, tum inprimis piorum simul & doctorum virorum colloquia, consilia, exempla, in dies fauente CHRISTO, formabunt absolutius) effulgeat amor, vt pij omnes quotquot tuis suauissimis iuxtà ac pietatem omnem spirantibus fruuntur colloquijs, non mediocriter sese

animo

animo sentiant exhilaratos; Deo laudem & gloriam fundentes quòd isthac ætate nōdum adulta in te tam eximia virtutum plurimarum expullulare ac gemmare, & in dies feliciùs adolescere, germinare, efflorere vident plātaria. Quæ si Deus Opt. vnà cùm vita longæua dignabitur, & pius clementer conseruare, & benignus largissimè augere (quod loco Illustr. V. D. notissimo in quotidiana liturgia comprecari, vti non semel nec frigidè, postulauit, non desinimus) erit Christo Germanis propitio, vnde nostra Germania sibi meritò in posterum nō mediocriter gratuletur.

Si namq; illa castissimi animi semina diuinitùs immissa magno piorum gaudio lætè gēmantia in suauissimos suos pergant fructus efflorescere, proculdubio Euangelica illa Apostolici seculi et sobrietas, & temperantia, ipsaq; adeo harum filia castitas in omnes facilè iterū promanet Ecclesiæ Christianæ ministros. Sicuti enim Regis ad exemplum totus componitur orbis: ita & domestici Dei efficacius ad viuum sui

Pa-

Pastoris opere magis quam verbo prę-lucentis exemplum suos in melius reforment mores: quorum non satis, &, vt vota postulant, castorum infamia nō pauci nūc passim laborātes, magna fuêre miseræ istius ruinæ Ecclesiasticæ pars: quam Deus nostri misertus tandem auertat, imò restauret citò propitius. Quant⁹ verò sit in te diuini numinis cultus nō hypocriticus, obscurum esse non potest apud eos; quibus vel à limine notus est tuus in Deum zelus; quo ardere totus visus es, quando subinde quibusdam referre dignabaris, quibusnam verborum formulis si non blasphemis, saltem maledicis in Dei cultum inuehebantur quidam minus Religiosi: quos in primis (modò sui & nominis, & loci esse volent memores) oportuit esse diuini cultus propugnatores.

Istud tum liquidissimè omnium equidem intellexi, quando non leuiter animum tuum Deo pietate syncera deuotissimum excruciabat aliquot Epicuræorum impietas, quæ Reuerendissimam V. D. sacerdotio Dei altissimi

 sese

ſeſe conſecraſſe illudentes, ſuggillabãt non tã pietatis, quàm ambitionis gratia. ſic enim ſol nt i i, teſte D. Iaco. animales hoĩes, υχικ ,& humana prudẽtia nõ Dei Spiritu acti, cęleſtia & Spirituualia ex ſuo æſtimare animo, in alijs hoc ipſum rerum honeſtarum eſſe cauſam, quod ſibi conſciunt, tali ex cauſſa facturos. Verum his Dei Iudicio relictis, pij omnes ex his quos diximus, veræ pietatis vnguiculis de Leone (quod dicitur) ſi coniecturare auſint, non niſi præclara inſtaurandæ aliquando Catholicæ Chriſti Eccleſiæ eſſe pollicenda, me facilè ſibi ſuffragatorem inueniant. Cùm enim Deus optimus collapſum illum, ne dicam euerſum, ignaua Epiſcoporum aliquot, dicam incuria, an negligentia, an Epicuræa verius impietate? Apoſtolicæ per Germaniam Religionis murum tandem inſtaurare inceperit propitius, atque turrim illam Dauid contra faciem Damaſci (de qua ſponſus animarum noſtrarum, Sponſus, inquam, ille ſanguinum Chriſtus Ieſus in Canticis Salomonicis cantillat perquam ſuauiter)

Damaſcus hoſtium eccleſię Chriſti eſt typ⁹ quę ſanguinarias piorũ Dei ſeruorum ſpirant perſequutiones

ter) siue cõtra malè blandientes simul & exitialiter grassantes varij generis hæreticorum perfidias reædificare sit aggressus, non aliam sibi elegisse (absit inuidia dicto , sicuti omnis abest adulatio) videtur isthic familiam , vnde certior iuxta ac firmior expectanda sit dom⁹ Dei renouatio, seria simul & solida. Quæ namque omniũ priscorum Germanici sanguinis stemmatũ ruenti isthic religioni tantum attulit subsidij in reformandis Ecclesiæ Pastorib⁹? tantum adhibuit auxilij in Monasterijs suam ad Regulam reuocandis? tantum deniq; admouit studij atque fauoris pij in Academijs rectè atque Christianè (quod summa est gloria) instaurandis, quantum Illustr. V. D. parens, clementiss. & immortali laude cumulatiss. Albertus Bauariæ Dux?

Huc etiam facit non solùm exquisitissima dulcissimorum liberorum , vt & familiarium ac domesticorum educatio liberalis, imò hæroica non min⁹ quàm verè Christiana: sed cura etiã mirum in modum solicita subditorũ ad vnum omniũ, vt pectus verè paternũ,

omnium ſalutis in Chriſto ſtudioſiſſimum nullo negotio intelligat, quiſquis cęco inuidentię glaucomate oculos ſibi non gerit ſuffuſos.

Teſtatur iſtud cum primus diligens illa (quam vtinam & cæteri huius profeſſionis Catholicę Principes vel Eccleſiaſtici tandem æmulari non grauentur,) Eccleſiarum Bauaricarum viſitatio, Monaſteriorum inſtauratio, Scholarum tot locis illuſtrium laudatiſſima gubernatio.

Clamat idem illa Marchionatus Badenſ. ex abominando errorum fœdiſſimorum orco ad vnum Chriſti ouile reuocatio, nullis encomiorum laudibus ſatis vnquam à quoquam laudanda.

Paternis his veſtigijs Chriſtianis ac verè Euangelicis, & ſanctis adeo exordijs Reuerendiſſima D. V. inſiſtens, quid animi gerat, quid ſecretis ſtudijs moliatur, quid pectore non leui in Canonicam Eccleſiæ Chriſti reformationem deſtinarit, pijs non eſt ignotum, quib⁹ tuus vel per trāſennam notus eſt animus: vnde quam fauſta equidem mi-

miseræ nostræ Germaniæ ominor; aut cur mihi lætissima quæque, optataque in Dei domum instaurandam pollice-or, in præsentiarum locus non est, vt literis exponam: ne quid auribus aut Reuerendissimæ V. D. aut Illustrissimi patris tui Principis singulari cum fidei Catholicæ, tum iustitiæ administrãdæ zelo preclariss. datum, emuli obganniant Sycophantæ. Quorum nunc temporis omnium infelicissimi plena sunt omnia. Siquidem progenies ista hominum in dies oritur vitiosior, vt verè nunc locum inueniat, quo D. Moyses suis obstreperis & refractarijs illis, iugiterque immorigeris exprobrabat Iudæis: Vos surrexistis cum patribus vestris incrementa & alumni hominum peccatorum, vt augeretis furorẽ Dei in Israel: quę virtutes mauult, μωμίζεσθαι ἢ μιμίζεσθαι, mordere inuida, & dente rodere canino, quàm sedula æmulari. Quod si ad Illustriss. D. patris tui Bauari exemplum, aut Principes Germani suos vellent Christo educare liberos, aut populus eam imitari disciplinam familiarem, & moderationem dome- Num, 32.

ſticam, illa Xenophontica Cyropedia, & Platonica omni Repub. præſtantiorem, breui admodum proculdubio meliorem ſimul & fœliciorem, ac, ni totus fallor, verè auream iterum haberemus, non modò Rempublicam, ſed eccleſiaſticum etiam ordinem ſuo Diuino tandem nomini reſpondentem. Qua de re ne plura nunc dicam, partim me tua inhibet verecundia; partim me hæc indiſerta vetat infantia, tantis laudibus canendis ſeſe agnoſcens infinitis paraſangis inferiorem, ideoque alijs ab eloquentia & dicendi copia inſtructioribus hac perlibenter arena cedens.

Valeat diu incolumis Reuerendiſſ. V.D. quam Deus Opt. vt ad ſui nominis gloriam Religioni Catholicę conſeruandæ, atque abuſibus graſſantium hæreſeon fontibus repurgandis, & moribus Cleri ad Canonicam vitam reuocandis ſuo augeat Spiritu verè Apoſtolico, precibus, licet frigidis quotidie ſuo illo tibi loco non ignoto ſupplices deprecari, votiſque non frigidis exoptare non deſinimus.

Loua-

Louanij diebus Rogationum, vbi nunc decimum huius exſilij degimus menſem, breui lętiorem, fauente Christo exſpectantes liberationem.

Reuerendiſſimæ Veſtræ Celſ.
ad omnia in Chriſto Ieſu obſequia ſemper ex animo deditiſſ.

VVilhelm. Damaſi Lindan.
Eccle. Rurę m. indig. Epiſ.

CAPITA LIBELLI DE FVgiendis idolis huius seculi.

Caput primum.

PRæfatio de fugiendis Euangelicorum nostri seculi idolis, quæ oraculum illud D. Iohelis, Residuum erucæ cōedit locusta, *de quatuor potissimis Idolorum huius ætatis generibus liquidò interpretatur, Lutheranismo, Anabaptismo, Caluinismo & Atheismo in dies eò proficiente, vt locum inuenire incipiat passim illa Christi prophetia, Putasne filius hominis cum venerit, inueniet fidem in terra?*

2. Quàm aptè atque graphicè D. Propheta Ezechiel Idola nostri seculi depinxerit, & appellarit Banioth Teuloth, atque doctiss. 70. ῥαπτὰ, *lacera sutilia, & centonibus confarcinata, fœdisq; erroribus conflata.*

3. Quòd verbo Dei, & linguarum peritia ad impia suorum errorum Idola constabilienda hæretici nunc imperitè non minus, quàm fœdè abutuntur, vt olim Iudæi sericis phrygiatisque vestimentis ad sua idola colenda, pulchrisque monilibus exornanda. vbi Catalogum 85. Expositionum inter se contrariarum illius Cap. HOC EST CORPVS MEVM, exhibet tabella.

4. Simile in alijs quoque dogmatibus euenire nouis istis magistris: vt de Sacramentorum numero, vbi caussa ex D. Rodone Asiatico, D. Iustini Marty-

Martyris discipulo declaratur pugnantis inter se adeò hæreticorum doctrinæ.

5. Euangelicos nostros imperitè admodum sua confingere atque compingere ruditer Idola dogmatica, ceu centones soleatosque turpiter calceos, more Gabaonitarum, vbi veteratoria ipsorum ars ex D. Irenæo depingitur, & tabella oculis pij Lectoris noua huius seculi hæreticorum exponit Idola: quæ liquido declarat, à quibus fuerint & olim nata, & nunc Euangelij titulo renouata.

6. Doctrinã Euangelicorũ non esse aliud, quam abominãdam priscarũ hæreseon colluuiem, ac ideo qui aliquo istorum dogmatum errore imbuti, ac pertinaciter sunt persuasi, Deum non habent: quia Christum eius non habent, sicuti ab Apostolis est Ecclesiæ Christianæ initiò annunciatus. Vnde nec Christiani sunt, sed verè Antichristi, teste D. Cypriano.

7. Quòd hoc seculo idolum illud magnum ab Euangelicis confingitur, summoq; artificio plasmatur, cuius apud Esaiam 44. Deus per Ironiam meminit. Vbi depingitur quid nobiliorum istorum Euangelicorum quilibet ad poliendum, dolandũ, & excolendum hoc Idolum sedulæ attulerit operæ, vt stybio & purpurissa exornatum plures simpliciorum fratrum à Deo vero colendo seducant, & diabolo seruituros adducant: Sed hoc ipsum Euangelicorum Idolum, exemplo illius Azotici idoli Daghon ostenditur capite mutilum, manibus truncum, nunc ante Dei arcam (quæ Catho-

lica est Christi Ecclesia) exanime corruere, atque iacere inglorium.

8. Sicuti olim illi prisci hæresiarchæ (quorum prophana dogmata isti Euangelici, imò phanatici ætatis nostræ renouant) authore ac Magistro diabolo ipsis corporali specie apparente, atque colloquijs erudiente, suam impiam didicere doctrinam, vt reipsa verum illud Paulinum elogium sibi asserant, sese Dæmonum inuehere doctrinas, ita & nostri seculi hæresiarchas demonstratur, dæmone authore atque Magistro perspicuè fuisse vsos in haurienda & tradenda noui sui Euãgelij doctrina.

9. Quòd Lutherus malo fuit actus & vsus spiritu, varijs tèstimonijs publicis confirmatur: sicuti & Andræas Osiander.

10. Iohannem Campanum dæmonum colloquijs, assiduoque malorum Spirituum magisterio vsum, noua & Euangelica inuehere dogmata.

11. Quòd Anabaptistæ magistrum suum iactitant Dæmonem, in Gabrielis specie apparentem: quod & de Dauide Georgij demonstratur.

12. Sacramentarios dæmone magistro suum nouum hausisse Euangelium liquida ipsius Zuinglij confessione confirmatur. Vbi de Bucero, & Caluino, & Berengario istorum omnium Patriarcha paucis, an eis defuerit magister Diabolus.

Quod

13. *Quòd Diabolus corporali specie apparuit quibusdam, quos ad militiam Principis Aurangiæ ostenso & oblato Dalerorum cumulo, inuitauit. Vbi historia narratur, qua iuxta Ruræmundam in pago Herten anno 71. Petrum Visschers Lindium stabulo abreptum, in arborem pirum vicinum euexit: sed acclamantibus nomen Domini Iesu socijs, in terram præcipitauit seminecem.*

14. *Eiusdem rei confirmatio ex actis publicis Reuerendissimi Episc. Laudunens. cum dæmone habitis, quod sese humana specie Hugonottis suis immiscuerit turbandis rebus Gallicis, an. 1566.*

15. *Eodem anno grassante sacro per Belgicam Iconoclastarum bello, fuisse passim Geele Brabanticæ Amsterdami, & alibi dæmoniacos suis obsessoribus Spiritibus aliquandiu liberatos, qui opem suis ferrent ministris Caluinistis, strenuè adeò rem Iconoclasticam sui mendaciorum magistri per Belgium gerentibus.*

16. *Caluinistas suo declarasse facto, sese diaboli esse cultores, quando confractis Sanctorum, adeoq; Christi Domini SS. Imaginibus, solùm sui Magistri Diaboli pepercere Imagini Antuerpiæ, Ruræmundæ, atque in Anglia. Imò Diaboli effigiem longo hastili præfixam vexilli loco suis præferebant cohortibus, quādo ex Leyda Hollandica excurrebant, monasterium S. Francisci in suburbano euersuri, anno 72.*

Non

stratur

ſtratur, & à calumnijs Sathanicis purgatur, atq; exemplis huius ætatis confirmatur.

3. Sacrificium Chriſtianū hodie latino vocabulo Miſſa dictum, nihil habere cultus Idololatrici, ſed Apoſtolica omnia et Euãgelica, adeoq; purè Chriſtiana: & quod Miſſa fuit nomine Liturgiæ à DD. Apoſtolis appellata: quo vocabulo etiamnū hodie Chriſtiani Græci conſtanter vtuntur.

4. Ciborum delectum longiſſimè apud Catholicos à ſuperſtitione, nedum ab Idololatria abeſſe.

5. Catholicos non eſſe Idololatras, quòd piè quoſdam docent à Coniugio abſtinere, Deum purius ac religioſius colendi cauſſa.

6. Rom. Pontificem iniuria idolum appellari, neque Catholicos ideo appellandos Idololatras, quòd ei tanquam D. Petri Succeſſori & Chriſti vicario ſeſe vniuerſi tam principes, Reges, Imperatores verè pij, quam populus agnoſcunt & profitentur iuſſu Dei ſubiectos.

7. Quòd Chriſtiani veri admodum vigilanter ſibi cauere debent hoc ſeculo, vt ne contra illam Chriſti Domini cautionem peccent, Si dixerint vobis, ecce Chriſtus hic, ecce Chriſtus illic, nolite credere, nolite exire: hoc eſt de cœtu meo per Apoſtolos collecto, ſiue de Catholica Dei Eccleſia diſcedere, aut Apoſtatæ fieri: quia non poteſt Deum habere patrē (teſtib. D. Cypriano & D. Auguſtino) qui Eccleſiam illam Catholicam non habet Matrem.

FINIS.

Typographus Candido Lectori.

Quoniam exemplar manuſcriptũ nobis tranſmiſſum, admodùm tumultuariè collocatum fuit, factum, vt diſſidentes, varięque hæreticorum ſententiæ de verbis Domini Ieſu HOC EST CORPVS MEVM, quæ ſuo loco ipſi opuſculo alioqui inſerendæ veniebant, per imprudentiam operarum omiſſæ ſint; atqui ne tu, cũ authoris labore, tum earundem ſentẽtiarum cognitione defraudareris, libuit eaſdem in finem libelli reijcere, vbi ijſdem frui poteris, Vale.

DE FVGI-ENDIS SECVLI NOSTRI IDOLIS, NOVISQVE AD VNVM OMNIBVS

iſtorum Euangelicorum dogmatibus: ad omnes vbique viros Religionis Catholicæ ſtudioſos, & pios cumprimis Concionatores admonitio.

VVILHELMI DAMASI
Lindani, Epiſcopi Eccleſiæ Ruræmundenſis.

INFESTVS ille iuxta ac indefeſſus noſtræ ſalutis æternæ hoſtis diabolus, omnem mouere funẽ non deſinit, vt quàm plurimos ex illa Chriſti nauicula pios Dei filios per vndoſum illud vitæ breuis ac varijs tentationum fluctibus tumultuoſæ ſalum in vitam vſque æternam vectrice abſtractos, in ſuas pertrahat perditionis

Quanta calliditate nunc diabolus ſua zizania ſuperſeminauerit ſuper bonũ Euangelicum ſemẽ à Chriſto & Apoſtolis ſatum.

naſſas: quas capiendis veluti piſcibus illis Euangelicis, malis atque putridis vbique habet inſidioſè collocatas. Rude autem & minus huic tempeſtati ſuæ contra Deum & Catholicam Chriſti Eccleſiam concitatæ aptum ipſi viſum eſt, craſſos illos Idolorum Paganiſmi errores in orbem iterum inuehere, quòd excæcatos adeò nondum reperiat, quibus denſiſſimas iſtas Aegyptiorum perſuadeat tenebras. Itaque ad ſuas illas, quarum nos paterna cautione præmonet ſedulò D. Paulus πανουργίας καὶ μεθοδείας aſtutias & inſidias multò callidiſſimas conuerſus maximā omnium ſibi inde pollicetur meſſem, pijs omnibus (prô dolor) meritò deplorandam. Quid enim ſuo ingenio vt verſipelli, ita fraudulento aptius fallendis Chriſtianis hominibus excogitat callidus ille hoſtis, doloſus & mille artifex, quam ſub blando Chriſtiani Euangelij titulo imperitioribus & ſuæ ſalutis æternæ ſi non incurijs, certè minus ęquo paſſim curioſis & ſolicitis ſuas dæmoniorum doctrinas, ſiue impia hominū mente corruptorum & humanæ prudentiæ

Noua hæreticorum dogmata veri nominis eſſe Idola.

dentiæ (quæ D. Paulo verè mors dicitur) dogmata obtrudere? quæ si incauti auido hauriãt ore, aut improuida; suscipiant mente non minus ab æterna exulent vita, quam si nefaria aut Iouis cinedi, aut impudicæ Veneris Idola colant.

Quod ne cui paradoxum videatur age obsecro demonstremus non minus noua dogmata Idoli nomen mereri, quam ipsissima Iouis, Veneris, aut Dianę Simulachra. Abominatio enim desolationis à Daniele prædicta* & à Christo Domino exposita intelligi potest, ait D. Hieronymus in Mathæum, est omne dogma peruersum. Singuli enim hæreticorum habent deos suos (Idem scribit Com. in Ose. cap. II.) & quodcunque simulauerunt, quasi sculptile colunt atque conflatile. Nam sicut nationes, siue gentiles manibus (ait Tertullianus vir doctiss.) Ita hæretici verbis idola fabricantur. Omne namque mendacium, quod de Deo (rebusque diuinis) hęretici dicunt, genus est Idololatriæ. Rursus idem Hieron. cõ. in Esa. 41. Vt pauca de plurimus delibe-

*& à Christo Domino exposita.

Hieron. Com. in Matth.

Tertullianus.

Hieron. Com. in Esa.

mus, ita scribit; Quicquid de Idolis & gentibus diximus, referamus ad dogmata prauitatis & ad Principes eorum hæresiarchas: quod CHRISTO pacem Ecclesiæ nunciante & monstrante * eis veritatis viam, ipsi sequantur errorem, & vento & turbini comparantur. Suffragatur his Adamantius Origenis illud Ieremiæ, Si faciet homo sibi Deos, exponens, non solum de corporeis simulacris, inquit, faciunt sibi homines deos: sed & de corde confingunt. Qui enim possunt simulare alium creatorem extra vniuersitatis Deum, alium Spiritum sanctum, aliū Christum, alia secula extra hæc, quæ
» cernimus: ij omnes fecerunt sibi deos,
» & adorauerunt opus manuum suarū,
» omnes philosophi qui varia dogmata
» prodiderunt; omnes hæretici, qui au-
» thores ad aliter credendum de Deo mi-
» seris mortalibus extiterunt, fecerunt
» sibi Idola: & animi voluptatem puta-
» uerunt Deum; & conuersi adorauerūt opus manuum suarum, putantes vera esse quæ finxerant. omnes igitur tam de visibili materia, quam de falsis dogmati-

*ei fortassi legendum.

matibus fingentes ſibi deos corripit nunc ſermo diuinus dicens, Si faciet ſibi homo deos, & iſti non ſunt dij. Hac de cauſa olim Arrium D. Nazianzenus merito βδέλιγμα ερημώσεως abominationem deſolationis iuxta Christi Prophetiam appellauit, quod Arrianis ſuis veriſſimum fuerit Idolum. Certe vbi D. Paulus Epiſtola ſua ad Timotheum hæreticos appellat γόητας incantatores, aptiſſimo Syri vocabulo, eoſdem vocant mathaiena, Idola, metaphora à meretriculis ducta, quòd ab amore Dei corda ſeducant.

Math. 24.

Hæreticos D. Paulus apud Syros idola vocat

Cùm igitur noua & peregrina dogmata veri Idoli mereantur nomina, rectè quod D. Ioannes acclamat, Cauete ab Idolis chariſſimi, ad iſtos nouę atque peruerſæ doctrinæ magiſtros pertinere conuincitur: qui dogmata vt impia, ita inſana in orbem reuehentes, tot idola inſtauraſſe demonſtrantur, quot vetera priſcorum ſuorum auorum hæreſiarcharum dogmata ab Eccleſia Chriſti olim damnata oſtenduntur renouare. Quæ ſi quis accuratè ſibi ſtudeat in animum reuocare, nu-

merumque ſubducere, agnoſcet non tantum hoc infœliciſſimo ſimul & luctuoſiſſimo ſeculo hæreſes inſtar Propheticarum illarum erucarum, locuſtarum & Bruchorum vineam Dei Sabaoth crudeliter depaſcere; ſed etiam (vt D. Iohel diuino ſpiritu afflatus prædixit) reſiduum erucæ locuſtam commediſſe: & reliquias locuſtæ Bruchum deuoraſſe: & Bruchi reſiduum Rubiginem aboleuiſſe. Quod oraculum etſi Iudæis ad literam eueniſſe non eſt dubium; magis tamen in eo ſpectandã equidem arbitror myſticam Theoriam, ſiue ſenſum allegoricum: qui nobis Euangelicæ lucis filijs declaret idẽ in Religionis cauſa iuſto Dei iudicio nunc tempori s euenire, quod olim hiſtoricè Iudæis in agro, vindemia, ficubus, alijſque huius vitæ ſuæ rebus. Neque enim minus ſuam rem ſatagit diabolus in tollendis homini æternæ ſuæ ſalutis remedijs, quàm accidendis & labefactandis, immò perdendis vitæ huius miſellæ commodis ſiue auxilijs; quod vtrumque vnus D. Iob Propheta ſuo ſatis ſuperque demonſtrat exemplo

Plagæ Iudæorum corporales nobis Deũ offendentibus implentur ſpiritualiter in anima.

D. Iob exempla quæ pijs præbeant vſum.

plo, pijs omnibus in columnam aduersus vniuersa hostilia Cacodæmonis in nos molimina erecto; vnde nos discamus quàm infesto veros Dei cultores persequatur odio, vt si non animũ à Deo auocet, atque in diræ blasphemiæ, siue prophanæ impietatis barathrum propellat: saltem corpus vexet, bonaque temporalia destruat, tollat, perdat. Sed omissis in præsentiarum illis exitialibus Sathanæ studijs, quibus animum ad vitia satagit illicere, propellere, intricare; nunc exponamus quibusnam artibus effecerit, vt illa Iudæorum plaga à D. Iohele proposita, nobis Christianis, prô dolor, in spiritu contigerit multò luctuosissima, & sanguinolẽtis lachrymis pijs Dei filijs lugenda, deflenda, deploranda.

Veruntamen putandum non est Deum Opt. suæ obliuisci posse paternę in nos clementiæ, ingenitæque suæ in homines, etsi offensatores, etsi transgressores humanitatis atque benignitatis, vt ad iram, licet iustam, prouocatus, extrema è vestigio mala pro meritis infligat: sed vti pium decet patrem

Eisdem gradibus Deus nouo suo populo Christiano sua infligit flagella, quibus olim Iudaico populo.

molliora primò adhibet pharmaca; deinde asperiora; mox duriora; postremò vrentia & corrosina; denique deploratis carcinomatibus ardentia cauteria: quando præ ira immodica suum à nobis aufert zelum illum toties per Prophetas Iudæis comminatum, vt ne corrigere quidem rebelles adeò & insanabiles amplius dignetur filios.

Dei flagella indubiũ est diuini in nos amoris iudicium.

Tertul. lib de patien.

August.

Stolida enim est, ne dicam impia, illa vulgi Christiani opinio, qua sese miseros reputant, si in calamitatem, ærumnas, exilia, vitæque pericula extrema interdum incidunt: cùm hæc indubia sint amoris in nos diuini, immò paternæ dilectionis indicia, quemadmodum rectè à Tertulliano est adnotatum, O seruum illum beatum, exclamat lib. De patientia, cuius emendationi Dominus instat: cui dignatur irasci: quem admonendi dissimulatione non decipit. Et August. Psal. 98. Illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat. Nam cui verè propitius est, non solum donat peccata ne noceant ad futurum seculum: sed etiam castigat, ne semper peccare delectet.

Quod

Quod igitùr Iudæis apud Iohelem contigisse gradu quodam diuinę, ideóque iustæ vltionis peccatorum, sacrosancta docet scriptura, vt residuum erucę comederit locusta, & reliquum erucę (crescentibus cum malitiæ incremento etiam iustæ Dei vindictæ flagellis) locusta vorauerit; porrò residuum locustæ absorpserit Bruchus, & Bruchi reliquias ingrauescente Domini manu & plaga acerbiore pro pertinaciore in vitia studio deglutiuerit rubigo, hoc apud nostri seculi Christianos spiritualiter, siue malis Allegoricè aut Tropicè accidisse mihi equidem videor agnoscere. Nihil hîc enim de sensu literali nobis dicendum arbitror, siue eodē anno sub Ozia, aut Achab, aut eius filio Ioram: siue diuersis hæ plagæ acciderint annis, siue hostilis agminis typ⁹ fuerit, siue non; quòd hæc alterius sint & operæ & temporis: sicuti nec commemorare, quibus nos Germanos potiss. Anglos & Gallos corporalibus bellorum, famis, penuriæ, atque pestis, feruentissimis flagellis, hoc seculo ad piam vitæ perditissimæ emendationē

(eheu fruſtra) toties ac tam diu clemē-
tiſſimè Deus prouocarit. Nobis in
præſentiarum propoſitum fuit (quod
Deus Opt. ſecundare, ſuoque auxilio
adiuuare, ſalutariterque dirigere dig-
netur) fratribus per orbem Chriſtianis
declarare quantis plagis, nimirum illis
verè Apocalypticis orbem Chriſtianū,
veroſque Chriſtianæ Religionis culto-
res nunc tempeſtatis hoc ſeculo 1500.
percuſſerit, atque adeò ſæuioribus in-
dies acerbius flagellare non deſinat, vt
reſipiſcant, & vitijs perditiſſimis ebrij
ſuis à delicijs euaneſcentibus ad virtu-
tis colendæ ſtudium tandem euigilent
alacriterque accingantur.

Lutherus erucæ in modum externas Religionis Chriſti ceremonias deuorauit: relictis apud ſuos ſemilaceris aliquot ritibus quaſi corticibus caſſis, S.

Reſiduum erucæ comedit locuſta,
inquit apud Iohelem diuinum oracu-
lum. Primum ergo Dei in Iudæos illius
ſeculi offenſatores flagellū fuit eruca:
quæ herbarum & terræ naſcentium o-
lerum folia depaſcitur, omnem viro-
rem abſumens, atque omnem deſide-
ratiſſimorum fructuum ſpem degluti-
ens.

Huic pernicioſo agris & hortis exi-
tiali vermi erucæ non immerito com-

pares Lutheraniſmum; qui inſtar erucarum virentia horti Chriſtiani folia deuorans, omnemque piorum ieiuniorum & rituum monaſticorum, atque Eccleſiaſticarum conſtitutionum virorem venenato ore depaſcens magnã Chriſtiano populo inuexit cladem.

Miſſæ, atq; Confeſſionis, & S. Crucis, & ſimilium ceremoniarum.

Sicut enim eruca relictis herbarum & olerum caulibus folia rodit, virorẽ conſumit, amœniſſimum arborum ornamentum deſtruit: Ita Lutherus circa delectum ciborum, ieiunia & pia vitæ Chriſtianæ ac in primis monaſticę exercitia corrumpenda & deuoranda initio verſabatur. Nam & ceremonias celebriores, quaſi virentia Eccleſiaſtici horti folia conuellebat, & Sacramenta (quæ admodum reliquit pauca & inuiolata) quaſi ſalutarem agri Chriſtiani herbam pias in vitam æternam animas paſcentem conabatur deuorare.

Non vniuerſam tamen Religionis Chriſtianæ ſpeciem demoliebatur in pijs Baptiſmi & ſacrificæ Chriſtiani ritibus, ſicuti nec ſacræ Confeſſionis, & abſolutionis ceremonias cum ſigna-

Externas aliquot ceremonias Lutherus ſibi callidè ſeruauit ad ſimpliciũ impoſturã; ſed nullo ſalutis ęternę fructu.

Nucleum Christianæ pietatis Lutherus suis etiam exsuxit ritibus: quos suis voluit ex plurimis saluos.

signaculo sanctæ crucis aboleuit. Vnde facilius simplici popello imposuit, quòd externa rerum sacrarum facies fere sit cum Catholicis dogmatibus eadem: sed exsucca & interna quasi medulla veritatis, verique diuini cultus virore destituta, immò ipso pietatis Christianæ nucleo priuata.

Damnum igitur à Luthero Catholicæ Christi Ecclesiæ primùm hoc seculo illatum si quis attenta mente cõsideret, erucæ illius Propheticæ detrimentum quoddam hortis afflatum nõ immeritò videbitur. Nam pestilenti eius doctrina infectos videre est magis pias ieiuniorum, & peregrinationum, aquæ sacræ, consecratorum cereorum atque similium Ceremonias Ecclesiasticas oppugnare, quàm grauiora fidei Christianæ dogmata. Vnde & omnium facillimè sanentur, & viciniores multò cæteris fidei Apostatis, siue sectarijs sunt, ad recuperandam amissam in Christo Iesu salutem, & Ecclesiæ Christi Catholicæ concordiam. Illud quoq; non absurdum videatur, si quis inde asserat, Lutheranismum erucæ Prophe-

Cur cum Lutheranis facilior spes concordiæ instaurandæ affulgeat.

Propheticę comparandum, quòd sicuti eruca herbas hortenses, holera & brassicas in primis detondens ad exiguum quoddam tempus grassatur, donec eas aut pluuia emaceret, aut hispida pruina decoquat, haud ita diu post depasta holerum & brassicarum folicula potis subsistere: ita & Lutheranismus ad quoddam tempus quasi effloruit, sed eius virore in horas marcescente irruentibus in conclusum illum Ecclesiæ Christi Iesu hortulum, floridum & pomiferum varijs hæresiacharum quasi procellis Aquilonaribus, nimbosis imbribus, pruinisque asperis, emoritur: degenerantibus passim per Germaniam Lutheranis in Caluinistas, Osiādrinos, Illyricanos, Svuencfeldianos, Campanos, Brentianos, aut istis execrandas magis aut alterius Sathanici furoris insanias. Possent & aliæ hinc peti similitudines, quas in pręsens omittere præstiterit. Iam secundum Dei flagellum in Iudæos immissum audiamus. Residuum erucæ, ait D. Propheta, comedit locusta. Sicuti Iudæi erucæ noxa hortos vastante non fuerunt

Ex D. Hieron.

II. Anabaptismus locustarum more flores horti Christiani de-

runt ad resipiscentiam reuocati; ideóque acerbiorem meruerunt manus Dei plagam: ita & nostra Germania impijs Lutheri animicidę dogmatibus nondum ad serium veræ pietatis studium excitata grauiorem sibi meruit diuinæ iustitiæ ferulam: qua ad suum virtutis auitæ colendæ exstimularetur officium. Hæc plaga D. Ioheli locusta fuit, nobis Anabaptismus. Sicuti enim locusta vernantes frugum, olerum, atque arborum flores depascitur: ita & Anabaptismus quod in Ecclesiastico agro videbatur floridum, & virtutibus quasi vernantib⁹ decoratum maximè vorauit. Inter omnia enim Ecclesiæ nostri seculi membra (absit inuidia dicto) minus aut ebrietate, aut symonia, aut ingluuie, aut fœda denique Venere nullus peccare videbatur, quā populus aut Hollandiæ, aut Phrysiæ, aut Vvestphaliæ: quas orbis plagas ista potiss. inuasit lues execrabilis. Qui enim simplici putabantur ornati cùm fide, tum vita in speciem religiosa, eos potissimū Sathanas hoc suo virulento artificio intoxicauit, vt speciē quandam innocentis

pascitur, qui simplicem, Dei popellum simulata insignis pietatis specie, singularisque innocentię ac terrenorum fastu abiecto, mundique contemptu seducit.

centis

centis ac piæ vitæ non ſcortando, non potitando, non helluando, non veſtitu ſuperbè luxuriando à verò abſtraheret; ac quod in eis erat quaſi pura fide & quadam innoxiæ vitæ innocentia floridum, deuoraret. Notæ ſunt tragædiæ ſano capiti magis ridendæ, quàm deplorandæ, niſi iſtis furoribus tot animarum Chriſti ſanguine redemptarũ perijſſent milia, quas paſſim Anabaptiſtæ concitarunt: in quas non plebeias tantum pellexerunt fœminas, bellas iuuenculas, virgineſque pudicas: ſed matronas adeò grauiſſimas, iuxta ac opulentas & ætate grandes: quæ iſto raptæ Enthuſiaſmo verè Sathanico plateatim nudæ diſcurſitabant, ſperantes ſeſe in Paradiſum è veſtigio abripiendas, cœleſtique manna in arboribus conſidentes ſecundum blanda Mennoniſtarum, & ſimilium fanaticorum promiſſa cœlitus paſcendas. Rectè iſta diuinæ manus plaga locuſtæ videatur comparari, quòd ſicuti illa ſemeſa derelinquens, pergit ad alia plus noxæ floribus illatura:

Anabaptiſtarum hypocriſis & Enthuſiaſmi.

Ita

Ita & peſtilens iſte Anabaptiſmus ſibi alteram quaſi peſtem aſciſcit Caluiniſmum, vt florentem Eccleſię Chriſtianę hortum magis non modò deformet; ſed maioribus etiam euertendæ fidei afficiat detrimentis, quemadmodum ex ſubſequente illius prophetici oraculi plaga pijs Dei filijs liquebit.

III. Caluiniſmus more Bruchorū efflore ſcētis Religionis gemmas deuorat, omnēque exſugit Chriſtianiſmi medullam.

Tertium igitur Dei flagellum Iudęis ob ſua in Deum ſcelera immiſſum D. Iohel commemorans, Reſiduum locuſtæ, inquit, comedit Bruchus: quod inſecti genus Caluiniſtarum typum non immeritò gerere putandum eſt, nondum orbis Chriſtianus ſæuiſſimis illis Lutheri & Anabaptiſmi flagris vexatus, ad meliora cōſilia redire voluit. Ideo & Deus ſua exaſperare cogebatur flagella: quibus ad reſipiſcentiam mortales miſeri, ac nos Eccleſiaſtici cum primis reuocaremur. Expullulare igitur paſſus eſt impium Sacramentariorum errorem, ſiue Caluiniſmum, qui Galliam, ſicuti & Angliam, Scotiam & Germaniæ partes non modicas depaſcitur ignauorum more Bruchorū. Sicuti enim Bruchus pro ſuo ingenio

vt horridulo inter volandum crepitãs ſtrepitu, ita tardus & piger, craſſiſque vectus alis quaſi corticibusligneſcentibus primas vitium & arborum pomiferarum ore vorat gemmas, medullam exſugens, cortices deuorans, nullam relinquens aut fructuum, aut pomorum, aut nucum ſpem; adultas etiam ſpicas obedere atque euirare, ne in germen progerminent, ſolitus. Ita Caluiniſmus vbi animos Chriſtiani populi ſuo venenato, vereque Sathanico halitu blaſphemiarum afflauerit; & virulento dirarum calumniarum roſtro quaſi obroſerit atque ambederit, id quod præcipuum eſt Chriſtianæ Religionis, reddit inutile ſimul ac infrugiferum. Quid enim ſani, aut pij ſperes ab iſtis impijs, qui non contenti & Baptiſmum Chriſti ceu non neceſſarium in exilium tanta diuini nominis cum blaſphemia expuliſſe: & Chriſtum ipſum ſuo ſancto Sacramẽto niſu ſacrilego exturbaſſe, audent & diuinitatem non modò Chriſti Domini imminuere, ac patre minorẽ facere: ſed & ſacroſanctam Dei Patris omnipotentiam

Caluiniſtarum impietas in Chriſtum & Deum ſpiritũ ſanctum.

negare, atque Spiritus ſancti maieſtatem ore ſacrilego inuadere, ac blaſphemijs ſceleratis proſcindere, adeoq́ue ſacroſancta Baptiſmi formula perquã nefariè Cyclopica prorſus audacia excludere? Neque enim iſtis Bruchis ſatis eſt, ſeſe in libertatem Anarchicam vindicaſſe, niſi & ipſi antique nobilitatis ordinem, immo Reipub. Capita ſupplantauerint, deuorauerint, aboleuerint, ſtirpituſque deleuerint, quod & Geneua ſuo deplorat exemplo, & Gallia bis miſera ex ſua ſibi trepida in horas metuit domeſticæ tragœdiæ cataſtrophe. Qualis enim hæc pijs ſperanda, cùm & epitaſis iſtius fabulæ non modò Gallicanæ toti nobilitati apud Amboſium opp. moliebatur exitium; ſed & ipſi Regi Franciſco 2. perniciem intentauerit? & ante illum poſteris memorabilem diem Sancti Bartholomæi anno 72. ipſis tot ſuorum myriadibus pernicioſum in eundem Regem Pariſijs totumque Valeſiarum nomen inſtaurauerit? Quo an aliud monſtri alant, quam cui Paulinũ illud præludit, *Qui tenet teneat, donec de medio fiat?* aliorum

Caluiniſtarum inuidia internecina in antiquæ nobilitatis viros & ordines politicos, & ipſum adeo Regem diuinitus præfectum.

eſto

esto iudicium. neque enim Propheta sum, neque filius Prophetæ. Illud sanè non leuis videtur momenti quod Caluinistæ tantam germanitatem & ineant & inueniant apud Turcas, siue infandos illos Mahumetanos, vt cuilibet facile erit æstimare, vtrosque vno ex ouo Sathanico propullulasse.

Quod pijs lectoribus absurdum minime visum iri equidem confido, si incredibilem Caluinistarum in impietate iuxta D. Pauli Prophetiam, profectum animo expendere non grauentur. Quò expeditiorem ad Turcarum Religionem amplexandam (cui non paucos Caluinistas Constantinopoli & alibi esse initiatos viri fide dignissimi referunt) viam præparent, omnia Christianæ Religionis abolent festa, nominatim verò natalem Domini Iesu Christi: de quo ita statuerunt in Synodo Dordracena anno 74. die Iulij, &c. Conclusum est, inquiunt Cano. 53. de festis, quibꝰ pręter Dominicā sese solent à laboribꝰ abstinere, ac in templū conuenire (**dat men mit die Sondage allein te vreden sein solle**) sola die

Caluinistæ plurimi in Turcarum superstitionem circuncisi transire non dubitant.

Ex Synodo Dordracena Caluinistarũ, anno 1574. Iulij 28.

Festa omnia Caluinistæ abolent pręter solam Dominicam, etiam natalem diē Christi Iesu.

Solis contentum esse oportere illamque sufficere debere. Tamen consuetudo de natali nati Christi erit Dominica illum præcedente agenda in templo, & populus de abolito hoc festo admonendus, eritque de die natali (modò inciderit in diem hebdomadæ, qui concionibus est dedicatus) de materia Christi nati concionandum. Cæterum die Paschatis & Penthecostes poterunt concionatores de Christi Resurrectione ac Spiritus sancti missione docere: quod tamen in libertate ministrorum sit positum.

Vmbram festi Paschalis & Pentecostes retinēt Caluinistæ admodum tenuem.

Vides hîc lector Christiane quænam futura sit breui toto Belgico nostro Babylonica facies; quam omnia Turcismo affinia: vbi nec dies nati Christi agetur, nec die Paschæ (nisi placeat ministro) aliquid de Christi resurrectione populo annunciabitur. Sicuti ergo abolēdo ieiuniū quadragesimę, atq; abstinentiā à carnibus & delicijs feria sexta, aboleuerunt memoriam Christi passi: ita & abolēdo festum nati Christi facilè de animis laicorum omnem Christi memoriam deleuerint, potissimè si die

Pas-

Paſchæ nulla populo fiat Chriſti in vitam à morte reſuſcitati per concionatores memoria, vt & nos ad eius exēpla nunc reſurgamus in nouitatem vitæ, atque ad lætam illam beatæ reſurrectionis ſpem nunc pijs orationibus, boniſque operibus exſtimulemus. Volunt & ſua illa, ficticia ieiunia (quæ D. Paulus merito ἐθελοθρησκείας. Vltroneos & voluntarios cultus vocat) celebranda die Dominico, Cano. 54. quod more Manichæorum aliorumq; priſcorũ hæreticorũ cōtra Eccleſię vſum & SS. canones innouare miſeri iſti nō dubitãt.

Etelotriſcias & vltroneos cultꝰ ſibi fingũt Caluiniſtæ

Ieiunant die Dominico Caluiniſtæ cũ Manichæis

Turcicam hanc barbariem vt magis apud Belgas promoueant, ſtatuunt eadem Synodo, Euangelia Dominicalia, quæ in Papatu inquiunt, Cano. 39. ſolent legi, non eſſe prædicanda. O Sathanicum odium iſtorum miſerorum, quo ſeſe patiuntur tam manifeſtè dementari.

Euangelia Dominicalia reijciunt Caluiniſtæ.

Sic & Campanas omnes paulatim volunt abolitas, quando in officio ſuo funebri vetant ne campanarum compulſus fiat, ad euitanda (inquiunt Can. 52) ſuperſtitionis pericula: quorum eti-

Campanas omnes paulatim templis eijciunt.

am cauſa ſtatuunt, ne concio funebris fiat, vbi fieri non ſolet.

Organa cur templis ſubmota velint Caluiniſtæ.

Cæterum organa Eccleſiaſtica prorſus abolenda ſtatuunt, Cano. 50. quòd Paulus 1. Corinth. 14. ita doceat: cum D. Paulus Dauidi aut Elizæo refragari nō ſit putandus, qui ex Dei Spiritu iſtum etiam diuinæ Religionis cultum non parum animos ad cœleſtia excitantem & erigentem promoueat. Sed grauiorem ſibi cauſſam adferre videtur cur hæc ſint prorſus abolenda, quòd hoc decretum, inquiunt homines impij, vtile fuerit, vt in obliuionem veniant, quæ antea populus audiuit. Hoc eſt, vt omnis DEI ac diuinarum rerum memoria quæ in canticis & organis Deo canuntur ſemel de mente aboleant ac obliti Dei Patrum ſuorum nouum Caluini, aut alterius hæreſiarchæ idolum ſuſcipiant, venerentur, colant.

Scopus Caluiniſtarum quantum habeat impietatis inuolutum.

IIII.

Atheiſmus ad modum Rubiginis omnem Religionis ſementem depaſcitur: ne quid inde proueniat vſus.

Sed nos modò, his alium aptiorē in locum repoſitis, quartum diuinæ plagæ Iudæis inflictæ genus cōſideremus. Reſiduum Bruchi, ait D. Iohel, comedit Rubigo; cuius imaginem exprimūt Athëiſtæ paſſim per Galliam & Germani-

maniam pullulantes. Sicut enim Ru- D. Hier. Com. in Iohelem.
bigo vitium & ſegetum morbus eſt, certaque agri peſtis & vera fundi calamitas, qua vrente vento culmus & ſtipula ita aduritur, vt nec eſui, nec fimo ſit vtilis: Ita qui iſthac Atheiſmi Rubigine corripiuntur, nullum ſibi miſeri retinent Religionis diuinæ vſum. Hæc igitur rectè nouiſſima eſt diuino in oraculo poſita manus Dei plaga, qua ſui populi incorrecta viſitat, punit atque iuſtè plectit flagitia. Dum enim ſuperioribus illis tribus flagellis ſatis aſperis, & duris grauibus & ſæuis, denique ſatis atrocibus & crudelibus (modò ſupereſſet nobis aliquis noſtri mali ſenſus) non emendamur. Deus iſtius noſtræ tandem improbitatis atque incorrectæ malignitatis pertæſus eos ſpiritui tradit vertiginis, vt nihil de Deo, nihil de cœlo, nihil de inferno credant. Qua quidem plaga nihil poteſt miſerrimo mortaliũ generi accidere pernicioſum magis, aut exitiale. In quod impietatis Barathrum quam hodie multi ſeſe perditum eant præcipites, plurimi

nobis pij viri: imò ipſimet aduerſarij ſuis conteſtantur ſcriptis. Quod vbi mecum preſſius recogito, illud Chriſti oraculum nunc temporis locum inuenire videre mihi videor: putaſne filius
Luc. 18. hominis veniens (inquit) inueniet fidẽ in terra? Ad hanc enim ſuam impietatis metam, paulatim deducunt impij hæreſiarcharum errores, vt tandem ſuo in corde dicat impius, Non eſt Deus.

Rectè igitur & nobis cum diuino Propheta Iohele nunc temporis venit exclamandum, euigilate, qui ebrij eſtis vino veſtro, & plorate, & plangite omnes, qui bibitis vinum in ebrietate. Quod non de ebrioſis, validiſque vini potoribus tantum eſt accipiendum: ſed de omni hominum impiorũ genere, qui aut dulci quadam fortuna ebrij aut vanis inanium voluptatum delicijs excæcati, aut blandis euaneſcentium iſtius carnis oblectamentorum illecebris capti, nihil penſi habent quid credant, quid teneant, quid ſequantur, quo ad beatam poſt mortem perueniant vitam: quum præſentem more pe-

corum hic tantum sibi statuere omni suo nisu persequendam. Quod hominum sane infœlicium genus etsi magis deplorandum est, quam verbis ad sanitatem reducendum; quis enim correxerit, quem Deus sui contemtorem despexerit: tamen priora tria genera quia non ita sunt deplorata, quin ad resipiscentiam queant reuocari, ideo hunc commentariolum de fugiendis huius seculi Idolis Euangelicis scribere visum fuit. Quod vt fœlicius efficiamus, initio Idola hæc Euangelica graphico D. Ezechielis penicillo depicta exponemus spectanda. Tum erit Tabella exhibenda, quæ proponat noua istorum Euangelicorum dogmata, quibusnam suis à Patriarchis illa sunt hodie mutuati. Denique collatio fiet hæresiarcharum tam nouorum, quam priscorum, ac demonstrabitur vniuersos magistro dæmone corporaliter subinde ipsis apparente, colloquijsque nocturnis erudiente illam Paulinam Prophetiam hodie implere, quòd cauteriata mente abominandas ipsi dæmonum inuehunt in orbem doctrinas. 1. Tim. 3.

Propositio atque distributio huius cómentarioli

1 (Idola Euangelica exponenda)

2 (Tabella)

3 (Collatio)

B 5 Diuinus

Caput 2. Diuinus ille Dei Prophetes Ezechiel Iudaico populo singulari Dei beneficio ad leuandam tristem admodum, vereque tetricam illius captiuitatis Babylonicæ miseriam missus, & vt mitiorem eis redderet presentium malorum quibus tantum non interibant, calamitatem, varia eis proponit placandi Dei (cuius furore iustissimo fuere in istud protracti exilium) remedia, vt ad mentem ac verum Dei cultum reuersi Deum experiantur liberantem, quem tunc sentiebant tam atrociter flagellantem.

Inter alia igitur quæ commemorat flagitia, propter quæ illa extrema quæque patiebantur, etiam hoc ipsis commemorat, sumens de vestimentis tuis, inquit, fecisti tibi Idola hinc inde consuta, ῥαπτὰ, sutilia, centonumq; more consarta & fornicata es super eis. Quod in cortice literæ Iudæis sonat de Idolis illis Paganorum, quæ ista gens delicijs diffluens suis, præclarissimis Dei donis, purpura, ostro, bisso, gemmatoque auro exornabat, vt Dei aliquod simulachrum misero populo exhi-

Idola vocant illustris 70. quod D. Hieron. excelsa.

exhiberet, si nos ad Spiritualem referamus Ierosolimam, siue Christianam Ecclesiam admiranda quadam Spiritus sanctus præfiguratione ingenium atque genuinam nostri seculi ad noua dæmonum Idola exosculanda insana libidine gesturientis, nobis depingit indolem. Vestimenta ad ornatum non minus, quam ad vsus necessarios præbuit Deus Optimus Iudæis liberaliter, splendidè iuxta ac copiosè. In horum locum nobis est SS. scriptura diuinitus nobis tradita, quæ Christianis, quorũ omnis gloria & decor, iuxta Dauidis Epithalamium, est intus, non modò est illustri admodum ornamẽto, sed quotidianis etiam seruit vsibus siue ad hilariorum animorum consolationem, siue ad fortem ac heroicam patientiã, siue ad pellendam mentis languescentis ac verè cõtabescẽtis tristitiã; siue ad solidũ deniq; nobis præstandũ animi gaudium. Ex hac vti olim, teste Orige. Adamantio, veteres illi hæresiarchæ Valentinus, Marcion, & reliqui istius farinæ non tam homines quam beluæ immanissimæ, immò harpyæ voracissimæ

Vestimenta Iudæis donata typus nobis sunt SS. scripturarum.

Orig. hom. in Ezech. 16.

ſimæ hominum piorum ſaluti inſidiantes ſua ſibi conflabant Idola ſutilia, dum ſcripturas diuinas variè dilaniantes, huc illuc, quò ſuo cuiuſque capiti viſum eſt, diſtrahebant: Ita & nunc huius ſeculi hæreſiarchæ. Quod quia plurimis à doctiſſimis huius temporis ſcriptoribus Catholicis eſt frequenter ſimul & eloquenter non minus, quam luculenter demonſtratum, nos illud in præſentiarum tantum in medium adferemus, quòd loca quædam SS. literarum ipſi ſenſu inter ſe non minus, quam contra nos contrario dilaniant, vt aliquem phanaticis ſui deliri capitis ſomnijs fucum cõcilient. Deinde quo purpuriſſam ac ſtibium quoddam ſuis nouitatis addant erroribus, etiam antiquitatem iactitare non pudet; ſcilicet ſemper fuiſſe quoſdam electos Dei homines qui doctrinam Euangelij, quam iſti nunc, ſi Chriſto placet, renouatam crepitant, Dei ſpiritu olim ꝓpoſuerint atque pro Dei verbo diſſeminarint. Loca igitur ſcripturarum quibus ceu veſtibus Chriſtus ſuam muniuit & ornauit Eccleſiam, nunc vnum aut alterũ

prome-

promemus quibus hæresiarchæ nostri seculi ad sua Idola sutilia, siue soleata & quasi frustis varijs consuta conantur vestire, stabilire, atque si fieri queat, inuicta reddere.

Quod Lutheranis, immò, si Christo placet, Euangelicis istis doctoribus atque sceleratis cum primis Sacramentarijs vsu venire candidus rerum æstimator videt, vt de vnius capituli Euangelici sensu inter se dissentientes adeò pugnantia doceant; Idem & his ipsis fratribus Euangelicis accidit, quando inter se sacrilega suæ nouatæ fidei conferunt dogmata. vt si exempli causa incidat quæstio de Sacramentorum numero: hîc quam variè dissideant, nemo credat; nisi cui notum est quanta vi suos ille vertiginis Spiritus agat, quos iusto Dei iudicio semel possederit. Si namque varia Euangelicorum nostri seculi quis supputare aggrediatur hac vna de re dogmata, inueniet tot esse dissidia, quot ipsa rei veritas impiè dissecta queat tolerare. Cùm enim Catholica Christi Ecclesia septem tradat, quæ totidem ab Apostolis fidei Christianæ

Cap 4.

Vide Panopliam lib. 4. ca. 6.

stianæ ducibus atque authoribus accepit Dei verbo tradita, sex contra ipsam insurgunt hostilis aciei castra, quæ veritatem oppugnatura sex modis sibi loquuntur aduersa. Lutherus enim sese vnum ait constituere Sacramẽtum, si secundum scripturas sibi loquendũ. Caluinistæ, vt & initio renati istius Euangelici Sathanici Melanthon primis suis locis communibus anno 21. ab imperito adolescentulo editis, duo contendunt esse Christi Sacramenta. Confessio Augustana non dubitat tria statuere.

Numerus Sacramentorum apud Euangelicos varius.

1

2

Vide Apologeticum nostrum tom. 2. cap. 32.

3

Sicuti & ordinatio Ecclesiastica Ducis Iulij Braunsvuicensis, anno 60. edita & Confessio Vvittenbergensis per Brentium aliosque Tubingens. conscripta: vt & Agenda Saxonica anno 36. per Iustum Ionam, Georgium Spalatinum, aliosque consuta.

4 Quatuor posteà eruditior factus Melanthon conatur suis locis communibus anno 52. in vulgus prolatis constituere, Ordinis Sacramentum prioribus quasi postliminio reuocatum attexens.

5 Quinarium fortè aliquis nouatorũ nobis

nobis pariet propediem (vt semper in peius proficit impietas) cùm noua in dies somniare non desinant deliria, ne ingenio sibi caruisse videantur, si nihil innouare audeant contra suos Magistros.

6

Senarium Sacramentorum Vvilhelmus Postellus asserere audet, qui sua in Panthenosia scribit semper sex fuisse credita Sacramenta, licet alicubi septẽ.

Hanc de Sacramentorum numero istorum Euangelicorum pugnam (licet ipsa sua sese euertat inconsistentia) nõ desinunt tamen detortis diuinarum literarum verbis eam stabilire: sed ea, quam modò diximus, fide verbum Dei ad suam ipsorum & aliorum infirmorum fratrum perditionem detorquentes, & Idoli speciem arte veteratoria sibi mutuò contraria deprauantes.

Euangelicis nostri seculi hodie vsu venit, quod olim insanis Manichæis vt eodem mẽdacij spiritu rotati doceant sibi pugnãtia & à se ipsis dissentanea.

Phanaticam istam Euangelicorum inter se bis per omnia dissonantium pugnam viris Euangelicis indignam vbi mecum penitus considero, non aliam video istius dissidij esse causam, quam fuerit olim Marcionistarum varia inter se mirificè dissentanea constituen-

1 tuentes rerum principia. Nam Appel-
2 les vnum constituebat; Potinus cum
suis duo; aliter tamen atque Marcion,
3 mus ille ponticus meritò dictus. Dein-
de Synerus quidam ingenio acutior,
4 tria. Rursus non defuerunt, qui qua-
tuor assererent cæcis cum Philosophis rerum principia, vnde omnibus ortus & generatio. Huius absurdissimi inter Marcionitas dissidij causam verissimã

D. Rhodõ Manichæos vt refutarit suis & dissentionibus.

D. Rhodon Asiaticus nobilissimus Tatiani Apostatæ discipulus Romæ in Schola D. Iustini Martyris ætate A. Seueri eruditus apud Eusebium lib. V. ca. 13. doctissimè exponit, non sese aliam, quam quòd dogmata sectantur, quæ secum ipsa consistere nequeant. Sed aureola eius verba libet hic commemorare; accuratiusque librare, διὰ τοῦτο καὶ παρ' ἑαυτοῖς ἀσύμφωνοι γεγόνασι ἀσυστάτου γνώμης ἀντιποιούμενοι. Propterea, inquit, inter se non consentiunt, quòd Asystaton dogma & sententiam, quæ consistere nequeat, modo inter se cõtrario, rationeque sibi mutuò dissentanea statuere contendunt. Hæc enim vox D. Rhodonis τὸ ἀντιποιούμενοι significare videtur

Voces D. Rhodonis philosophi accuratius expenduntur, quam veram dissidiorum inter hereticos causam aperiant.

detur: quam Ruffinus, vt pleraque ferè omnia, non satis expressit, reddens, affirmare cupiunt. Neque Ioannes Langus medicus nouus nostri seculi Valentinus, est assequutus: qui eadem Rodonis verba suo in Nicephoro recitans conuertit, tuentur ac defendunt. propius sententiæ scopum attigisse videtur Reuerendissimus Christoforsonus Anglus egregia vitæ innocentia non minus ornatus quam doctrina varia præclarus, nobisque amicitia Christiana pridem iunctus & nostri apud Dominum (quod equidem spero) modo nō immemor, stabilire nituntur: cùm illud τὸ ἀντὶ pugnam. & vt Suidas doctissimè obseruauit φιλονεικείαν ambitiosam vincendi contentionem, & contumacem rixandi mutuô inter se hæreticorum peruicaciam sonat: quæ inter isthæc Sathanæ mancipia plerumque semper oriri solet, quando suam quisque opinionem alteri contrariam obnituntur solicita, æstuante, atque adeò impotente, immò' demente victoriæ ambitione statuere. Quod & Lutheranis & Caluinistis, & cæteris ad vnum

Variè notantur interpretum versiones, minus exactę.

Contentionis studium tot parit inter hęreticos discordias.

omnibus ſemper phanaticis, ſed noſtri cum primis ſeculi vſu veniſſe ad illorum inſtar Marcionitarum videmus. Hac igitur in ſacra pugna ne victi vnquam videantur, varia pro ſua quiſque priuata ſententia ex diuinis ſcripturis promunt teſtimonia: quibus quod impiè ſentiunt, pijs dictis quaſi DEI verbo velata & fucata ſtabilire, immò exornare ac pro ipſiſſimo Chriſti Euangelio imperitis impudenter venditare, improbeque obtrudere non verentur: verum qui iuxta D. Pauli monitum didicere verbum Dei ὀρθοτομεῖν rectè, ordine, ac genino ſenſu ab electis illis Spiritus ſancti organis, Prophetis dico, & SS. Apoſtolis ſecare atque exponere, ſiue interpretari, eos toto aberrare cœlo, quod dicitur, vident perſpicue. Neque iſtud in priſcis atque obſoletis illis hæreſiarchis tam perſpicuum erat doctis illa ætate viris intueri, quã noſtro hoc infœliciſſimo ſeculo hæreſeωn omnium feraciſſimo: cum iſti multo imperitius ſimul & abſurdius, quam illi priores Sophiſtæ, iſta noua diaboli ſobole & ingenio preſtã-
tio-

Multo imperitiores ſunt noſtri ſeculi hæréſiarchæ, quam illorum aui priſci hæretici.

tiores, & à bonis artibus inſtructiores, diuina torqueant, & vt D. Petrus ait, deprauent oracula ad ſuam & aliorum perditionem. Nam qui abſurda, planeque pijs omnibus abominanda noſtratium hæreſiarcharum dogmata rectè ſibi habet perſpecta, luculenter admodum perſpicit eos Dei verbũ ſua ſpoliatũ germana & vera ſententia imperitis pro Dei verbo obtrudere, quod iam adulterino ſenſu in dæmonum doctrinam eſt deprauatum & quaſi venenum melle oblitum incautis propinatum. Hunc igitur in modum hæreſiarchæ omnes potiſſ. noſtræ iſtius infœliciſſimę tempeſtatis Sacroſanctis abutentes ſcripturis diuina oracula tanquam ſacra Eccleſiæ Chriſtianæ veſtimenta in Idola quædã ſutilia & centonibus imperitiſſime conflata conuertunt, vt aliud ſonare videantur, quàm habet doctrinæ Apoſtolicæ veritas. eos autẽ verè Idola ſutilia, ſiue varijs ex ſoleis & centonibus conſuta colere, inde magis apparet, ſi dogmata quis ſecum reputet, quæ nunc Euangelij prætextu nouare non dubitant. Hæc enim

Euangelici verbũ Dei ſuo germano ſenſu exſpoliant & in dæmonũ doctrinas ſiue in Idola deprauant.

Dogmata hæreticorum varijs errorum centonib. conflata ſunt ac pannoſis veſtibus ſimilia.

ſi quis ſibi in mentem ſeriò reuocet, agnoſcet liquidò eos Idola verè ſutilia, ſileacea ac conſuta ſibi haud ita affabre, vti iactitant gloriabundi, fabricare. Quod magis ex ipſa Hebraica D. Ezechielis voce liqueat, nam appellat Bamoth Theluoth: quod D. Hieron. expreſſit, excelſa hinc inde conſuta; Aquila & Theodotion ἐμβολίσματα pannos hinc inde conſutos; Iudæi pleriq;, verſi colores, & alij aliter.

Sed omnium aptiſſimè illi doctiſſimi 70. εἴδωλα ῥαπτά Idola conſuta, ſutilia, ſiue ſoleacea vt centonum more ſint conſarta, ſine ordine, ſine decoro, ſine iuſta etiam, aptaque partiū cohærentia quemadmodum hæc hebræa vox loquitur, quando in Ioſuæ Hiſtoria legitur Gabaonitas veniſſe indutos calceamenta theluoth, vbi 70. reddunt καταπεπελμαζώματα fruſtis ſuppacta & petacijs ſiue fruſtulis coriaceis conſuta.

Cap.4. Sicut ergo calcei Gabaonitarū fuere pudendum in modum varijs ſolearum fruſtis, & ſordidis coriorum fragmentis turpiter conſuta, centoniſque

in

in modum fœde ſoleata, ſiue variè cõflata: Ita hæreſiarcharum Idola verè ſunt ſutilia, hinc illinc fœde conſuta, & ex varijs priſcorum deliriorum quaſi vetuſtarum ſimul & ſordidarum ſolearum fragmentis, putidiſque ramentis turpiter non minus quam imperitè conflata. Neque enim à præclaro maiorum ſuorum ingenio degenerare poſſunt iſta nouella impiorum hæreticorum germina, quæ quam abſurdis & indignis modis diuina tractare ac temerare ſolent oracula, D. Irenæus bella admodum demonſtrat ſimilitudine: Aptare conantur, inquit, his quæ dicta ſunt (impijs hæreticorum dogmatibus) vel parabolas Dominicas, vel dictiones Propheticas, aut ſermones Apoſtolicos, vt figmentum eorum nõ ſine teſte eſſe videatur. ordinem quidẽ & textum ſcripturarum ſupergredientes, & quantum in ipſis eſt, ſoluentes, membra veritatis transferunt, & tranſfingunt, & alterum ex altero facientes, ſeducunt multos ex his, quæ aptant ex dominicis eloquijs malè compoſito phantaſmati Quomodo ſi quis imagi-

D. Ire. l. 3. cap. 10. Veteratoriam artẽ depingit hæreticorum, qua ſuorum dogmatũ Idola pingunt.

Imaginem Regis deformant hæretici in imaginem canis, quando abutuntur Dei verbo ad suas hominum doctrinas statuendas.

nem Regis, imaginem bonam fabricatam diligenter ex gemmis pretiosis à sapiente artifice soluens subiacentem hominis figuram transferat gemmas illas, & reformans faciat ex his formam canis, vel vulpeculæ, & hanc malè dispositam dehinc conformet, & dicat hanc esse Regis illam imaginem bonã, quam sapiens artifex fabricauit, ostendens gemmas, quæ bene quidem à primo artifice in Regis imaginem compositæ erant; malè verò à posteriore in canis figuram trãslatę sunt & per gemmarum phantasiam decipit Idiotas, qui comprehensionem regalis formæ non habeant & suadeant quoniam hæc turpis vulpeculæ figura illa est bona Regis Imago. Eodem modo & hi anicularum fabulas assumentes, pòst deinde sermones & dictiones & parabolas hinc inde afferentes aptare volunt fabulis suis eloquia Dei. Ista D. Irenæi in nouitia hæreticorum dogmata vituperatio & inuectiua non videbitur à verò aliena, cui nota est Ecclesiastica antiquitatis historia, quam qui vel à limine salutauit, agnoscit perspicuè no

Hæreticorum dogmata sunt anicularũ deliramenta, meræque stolidorum hominum fabulę.

uun

uum iſtud, Lutheri, Caluini, Serueti & cæterorum phanaticorum iſtius Antichriſtianæ tempeſtatis Euangelium, niſi merum eſſe priſcorum hæreſiarcharum quaſi ſeplaſiariorum & vnguentariorum emplaſtrum, aut potius execrandam peſtilētium errorum farraginem: qui nihil præter recocta orbi per ſummam inſcitiam, pudendamq; antiquitatis imperitiam obijciant veterum hæreticorum dogmata nunc in fraudem ſimplicium Euangelij fuco imperitis obtruſa. Quod vt pio lectori veritatis ſtudioſo magis liqueat, & pugna iſtorum inter ſe inuicem reuera Theomachica, ne dicam Cyclopica, pijs viris magis appareat, en tibi frater in D. Ieſu chariſſime Tabella, quæ fontes tibi aperiat, vnde ſuas dæmoniorum doctrinas magiſtri hauſere (ſi ſuperis placet) Euangelici. Hæreſes enim ſuam ad originem reuocaſſe, confutaſſe eſt, D. Hieronym.

Anno 314

1 Arrhius: Sacroſanctam Trinitatē nō eſſe in vnitate deitatis tribus perſonis diſtinctam. Sic Mihaël Seruetus Caluiniſta, Mathias Illyricus, Ioannes Campanus.

320 2 Arrhiani. S. Trinitatem non eſſe inuocandam in Chriſtianorum Litania: Sic Lutherus cum ſuis Saxonibus, Chemnitius cum ſuis Vveſtphalis, Caluinus. qui & vocem eſſentiæ Dei & Trinitatis exoptat ſepultam.

80 3 Carpocrates & Gnoſtici, vide D. Ireneum. Non eſſe vnum Deum ſed plures. Georgius Draco Caluini diſcipulus, Petrus Stratorius Polonus.

312 4 Arrhiani. Chriſtum eſſe Patre ſuo minorem, atque ſecundum imperij & honoris tenere locum. Caluinus, Beza, Auguſt. Marelatus Annotat. noui Teſtament. per Caluinum & Bezam approbatis.

260 5 Sabellius. Chriſtum non eſſe perſona alium à Deo Patre. Michaël. Seruetus, Ludouicus Hetzerus Anabaptiſtarũ Dux, teſte Sebaſtiano Franco. Menno.

200 Artemon.

260 6 Samoſat.

318 Arrhius.

620 Mahumet. Chriſtum nõ eſſe ęqualẽ Deo Patri, nec eiuſdem ſubſtantiæ.

Hetze-

Hetzerus teſte Sebaſtiano Franco. Lutherus modicum tenet de Homouſio, & Trinitatis vox in Theutonico ei non placet, ait lib. contra Iac. Latomum Louanien. Caluinus enim negat Deum de Deo, & ex ſubſtantia patris natum, ita in Synod. Lauſanen. anno 1537.

7 Baſilides. 50

Manichei. Chriſtum naturam hu- 300
manam ex virgine Maria non aſſumſiſſe. Melchior Hoffman, ait forma Eccleſiæ Auguſt. anno 56. ædita. Menno in Colloquio Vviſmarien. Suenckfeldius & Seruetus teſte Beza comment. ad Rom. 1.

8 Iouinianus teſte Auguſt. de hæreſib. 380
Beatam Dei genitricem Mariam in partu non permanſiſſe virginem. Petrus Martyr. Henricus Bullingerus, Theod. Beza, teſte D. Cland. Santeſ. de Euchariſt.

9 Valentinus. Chriſtum ſubſtantiam 60
ſecundum animam habere æternã. Seruetus in Dialog. Vvilhelmus Poſtellus in claue abſconditorum.

10 Neſtorius. Chriſtum in duabus na- 425

turis duarum eſſe perſonarum. Adã
Paſtoris, vt ait Georgius Caſſander.
455 11 Eutyches: Chriſtum in vna perſona
vnius etiam eſſe naturæ. Seruetus,
Suenckfeldius teſt. Georg. Caſſan.
Ioannes Langius iſtud ſomniat poſt
eius reſurrectionem, libel. cont. Staphylum.
450 12 Macedonius: Spiritum ſanctum nõ
eſſe Deum neque perſonam tertiam S. Trinitatis. Vvilhelmus Farellus Caluini magiſter, Caluiniſtæ paſſim, Ioannes Campanus.
350 13 Manichei teſte D. Hieron. in præfat.
in dialog. Pelagian. Hominem non
eſſe liberi arbitrij. Lutherus, Melanthon initio, ſed nunc contrarium
cont. anno 52. Brentius, Illyricus,
Caluinus & alij ex dimidio, Chemnitius & alij Semiluther.
100 14 Cerdoniani teſte D. Aug. ad Quod
vult. In nullo Prophetarum ſpiritũ
Chriſti requieuiſſe. Michaël Seruet⁹
teſte Caluino actis eius.
350 18 Manichei teſte D. Hieron. ad Cteſiphon. Legem Dei ex hominibus eſſe
impoſſibilem. Lutherus, Caluinus
in

in institut. Chemnitius.

16 Pelagiani teste D. August. varijs in locis: Non esse peccatum originale propriè in infantibus. Zuinglius, Seruetus Caluinus, Anabaptistæ. 390

17 Pelagiani August. l. 3. c. 3. cont. Iulianum: Non esse Christianorum infantes peccato contaminatos, sed mundos. Zuinglius, Caluinus, Bucerus.

18 Pelagiani Augustinus ad Quodvult. Christianorum infantes nasci sanctos & hæredes vitæ æternæ non renasci. Bucerus de Refor. Ecclesiæ. Caluinus.

19 Valentiniani teste D. Iren. l. 4. cap. 1. Apostolicam Baptismi formam nō esse seruandā sed immutādam. Caluinistæ passim per Belgium anno 66 quod & Beza testatur epist. ad Polo. quosdam spiritum à Baptismo excludere. 60

20 Massiliani, Damascen. de hæresibus Baptismum hominem non perficere τελειν & sanctificare, nec diuina Sacramenta accepta verè animi sordes expiare. Caluinus, Lutherus, Zuinglius, 350

lius, Chemnitius.

60 21 Cerinthus. Circuncisionem plus efficere Baptismo, ideoque in vsu reuocanda, Lucas Steinberger, & Poloni quidam.

350 22 Massiliani Damas. de hæresib. Peccatum originale in Baptismo non aboleri, aut tolli, sed manere non imputatum. Lutherus, Caluinus, Chemnitius.

23 Seleuciani & Herminiani apud August. ad Quodvult. Non esse Baptismum aquæ necessarium. Caluinus in Institut. Beza cum sua colluuie.

24 Proculus Arrhianus apud Epiphan. Concupiscentiam esse verè peccatũ in baptizatis. Lutherus, Caluinus, Chemnitius.

210 25 Nouatiani teste Theod in Fab. Eus. Cæsarien. de Nouato. Confirmationem non habere S. olei illitionem. Bucerus de Refor. Eccles. Caluinus in Institut.

330 26 Donatistæ apud Optatum lib. 6. Chrisma conspuendũ & conculcandum. Lutherus, Caluinus in Instit. Chemnitius.

27 Beren-

27 Berengarius. Euchariſtiam tantum eſſe corporis Domini ſignũ. Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus. 1000

28 Berengariani teſte Amerſano. Euchariſtiam habere verum Domini corpus cum pane vero. Lutherus cum ſuis, Brentio, Illyrico, Chemnitio. 1000

Maſſiliani teſte Theod. { 29 Euchariſtiã ſub panis ſpecie non habere ſanguinem. Lutherani in Polonia, ait Confeſſio Polonica. 30 Euchariſtiam commeſtam nec prodeſſe nec obeſſe. Bucerus. } 330

31 Neſtoriani apud Cyril. ad Galeſyr. Euchariſtiã nõ habere corpus Chriſti extra vſum Sacramẽti. Lutherani. 400

32 Aërius teſtibus D. Auguſt. & Epiph. Pro mortuis non eſſe orandum aut ſacrificãdũ. Lutherani contra ſuum Lutherum articulis ſuæ fidei, Zuingliani, Chemnitius degener Lutheri diſcipulus. 350

33 Valentiniani teſte Iræn. lib. 1. cap. 1. 50
Iouinianus teſte D. Hier. l. 2. contra 310
Ioui-

Iouin. Nō posse homines Euāgelica fide pditos peccare, nec Spiritū sanctum amittere, neque eis peccata nocere. Anabaptistæ, Beza, & Caluinistæ.

300 34 Andiani teste Theod. in hæres. Confessionem Sacramentalem non esse necessariam. Lutherani, Zuingliani.

350 35 Massiliani, Damascenus in hæresib. & Albigen. Ordinis Sacramentum non esse veri nominis Sacramentū nec ordinationibus Ecclesiæ Clericos fieri sancti Spiritus participes. Lutherani, Zuingliani, Chemnitius.

450 36 Armeni, Cathari, Flagellatores: Sacramenta esse hominum figmenta, nec conferre gratiam. Lutherani, Zuingliani, Chemnitius.

70 37 Gnostici, teste D. Iren. l. 1. cap. 1. Matrimonium esse dissoluēdum maximè ob Religionis adulterium. Lutherus, Caluinistæ passim.

350 38 Iulian. Apostata Fœliciani & Vualdenses: Imagines Christi & sanctorū esse idololatricas. Zuinglius, Caluinus,

nus, Lutherani per Bauariam superiorem.

39 Claudius Taurinensis: Perigrinationem ad sanctos esse inutilem. Lutherus, Caluinus. 780

40 Porphyrius & Eunomius: Miracula esse dæmonis præstigias. Lutherus, Caluinus. 350

41 { Eustachius Concil. Gangren. 200
Vigilanti⁹, teste D. Hieronymo. 320 } { Reliquias sanctorum non esse venerandas. Lutherani. Zuingliani. }

42 Eustachius Concil. Gangrens. Templa Martyrum non esse honoranda. Lutherus, Caluinus. 200

43 Vigilantius, teste Hieron. Cathari apud Sebast. Francum & Guido. Sanctos non esse ad auxilium inuocandos. Lutherani, Zuingliani, Chemnitius. 320

44 Eustachius: Festa sanctorum non esse colenda. Lutherani, Caluinistæ. 350

45 Ceryntus & Iudaizantes: Dominicã diem non esse colendam, sed sabbatum. Carolstadius teste Melanthone articulis Bauar. & Albero. Caluinistę ad Mosæ fontes. 70

Iouinia-

360 46 Iouinianus teste Hieron. Virginitatem non præstare matrimonio, nec maioris meriti esse. Lutherus in Epithalamio, Confessio Vvittenbergensis, Chemnitius contra Concil. Trident.

359 47 Aërius apud Epiphanium. Non esse ieiunandū certis diebus. Lutherani, Zuingliani.

80 48 Simon Magus teste Theodor. & Iren. l. 1. c. 1. Nos per opera non saluari, sed per fidem, neque ad salutē illa esse necessaria. Lutherus, Illyric⁹, Chemnitius.

450 49 Armeni & Cathari. Non esse animarum post hanc vitam purgatorium. Confessio Vvittembergen. Lutherani degeneres, Zuingliani & Chemnitius.

450 50 Armeni. Animas dormire vsque ad iudicium. Anabaptistæ.

50 51 Symon Magus. Carnis resurrectionem esse fictitiam. Seruetus, libertini in Gallia, vt ait Caluinus, in actis Serueti.

52 Iudæi & Iudaizan. teste August. de Ciuitate Dei. Libros Machabæorum

non esse canonicos. Lutherus, Chē-
nitius, Caluinus.

53 Gnostici apud Iren. lib. 9. cap. 6. Deum non esse omnipotentem, neque infinitæ potestatis. Petrus Martyr Italus, Beza Burgundus, Brentiani.

54 Valentiniani apud Irenæum l. 1. c. 1. Deum esse malorum operum authorem. Caluinus de prædestinat. Melanthon locis commun. prioribus.

55 Pagani: Non esse per Deum iurandum, sed per Solem. Caluinistæ in Polonia, teste D. Hosio epist. ad Colonien.

56 Athæi: Non esse Deum. Beza hoc nomine Parisijs inter condiscipulos malè audiebat, qui plurimos per Galliam, Poloniam, Germaniam scribitur habere contubernales fraterculos: quod non modò Catholici, sed & Petrus Viretus Caluinista deplorat suis in Sacrosancta sacrificia Christianorum blasphemijs.

Cui nunc libet prisca hæresiarcharum dogmata à nostri seculi Euangelicis renouata considerare, agnoscet Cap. 5.

Doctrinã Euangelicorum nõ esse aliud quam abominandã priscarum hęreseon colluuiem.

de his illud elogiũ dici verissimè quod olim D. Leo ille magnus, de Priscillianistis infœlicissimis istorum proauis scriptum reliquit. Nihil est sordium in quorumque sensibus impiorum (inquit epistola 91.) quod in istud Euangelicorum Barathrum non confluxerit.
„ quoniam de omnium terrenarum o-
„ pinionum luto multiplicem sibi fæcu-
„ lentiam commiscuerunt, vt soli tantũ
„ biberent, quicquid alij ex parte gustas-
„ sent. Denique si vniuersæ hæreses ante
„ nostrum hoc luctuosissimum enatæ
seculum diligentius excutiantur, nullus penè inuenietur error, de quo ista Euangelicorum impietas non traxerit contagium: vti ex marginibus huius tabellæ perspicuum est videre. Quos impietatis Sathanicæ authores hæresiarchas miseri nostri Euangelici, si quid sani cordis habuissent, pridem perculsos olimque prostratos facilè potuerant declinare, ne de sepultis cineribus rediuiua tentarent incendia commouere, vt in eorum transirent infœlix consortium, quorum tam suæ salutis æternæ incurij sequi voluerunt exemplum.

plum. Vos miror viri Euangelici, quorum imitamini exempla, eorum exit⁹ non timere, aut Ecclesiæ Christi anathemata non formidare? Quod si igitur hîc noster labor tabulæ huic non leuiter impensus illis Euãgelicis (quod omen Christus auertat propitius) fortè non profuerit, vt ad saniorem mentem redeant: poterit tamen fratribus Catholicæ fidei cultoribus non mediocrẽ adferre cautelam. Siquidem hanc prolixam simul & perspicuam abominandarum hæreseωn tabulam fratres in Christo dilectissimi vestris oculis perlustrandam propterea potissimũ nunc quàm ante annos 20. elaboratiorem proposuimus, vt inde quilibet suæ salutis æternæ non immemor persuasum habeat, quanta vigilantia sibi esse vitandum, ne diabolus mille artifex aliquo istorum errorum quempiam fallat, aut venenato impiæ ac sacrilegæ doctrinæ afflatu inficiat.

Hæreticis nulla est salutis spes quæ non sunt Christi sed Antichristi commolitiones.

Si enim aliqua istarum hæresium quis corripiatur, atque contumaciter, siue pertinaciter in eadem persistat, nulla ei superest salutis æter-

næ ſpes ſalua; quòd iam Deum non habeat, quia non tenet Chriſtum eius, vt nobis eſt, ab Apoſtolis adnunciatus: ſed in Antichriſti caſtris militat, parem in puteo illo ſulphureo cum adulteris, periuris, Apoſtatis, & Idololatris accepturus infelix portionem; niſi in tẽpore ſibi conſulens ad Eccleſiam Chriſti pœnitentiam acturus redeat.

Vide D. Cypr. de vnitate Eccleſ.
Apoca. 21.

Cùm enim quilibet iſtorum aut hæreſiarcharum aut ipſorum blaſphemias renouantium atque ſequentium aliter ſibi de Chriſto, aut de eius Eccleſia perſuaſum teneat, quàm rei veritas per Apoſtolos Chriſtianis maioribus noſtris prædicata docet, perſpicuum eſt, eos aliter docere, quàm Apoſtoli tradidere. Vnde in illud ſeſe ipſi liquidò conuincunt, anathema Paulinum incidiſſe: Si quis aliter docet, quàm accepiſtis, anathema ſit? Siquidem Idolum ſuæ quiſque mentis, humanæque prudentiæ (quæ apud Deum eſt ſtultitia) toto affectu ſequitur, venerabundus colit, pronus adorat, qui aliter, quàm Dei verbum nobis per Apoſtolos annunciatum profitetur, ac fictitia fide credit.

credit. Vnde à Tertulliano ſcitè non minus, quàm pręclarè dictum legim⁹, Sicut nationes (ſiue Pagani) manibus; „ ita hæretici verbis Idola fabricantur. „ Omne namque mendacium, quod de „ Deo (rebuſque diuinis, aut Chriſtianis „ dogmatibus) dicunt, genus eſt Idololatriæ. Hæc res ſi cuipiam indoctiorum fratrum videbitur fortaſsè obſcurior, aut paradoxa, nos in illorum gratiam non pigebit fuſius exponere.

Hæretici verbis fallacibus noua populis fingunt Idola.

Arrhium (vt exempli cauſa, quod pijs omnibus eſt indubitatum, aſſumamus) nemo Catholicorum dubitat, iuſta cenſura ab Eccleſia Dei damnatum & tanquam hæreticum ſiue anathema fidelium cœtu proſcriptum, diaboloque ſuæ impietatis magiſtro traditum. Sed quanam ex cauſa putas obſecro, mi frater? Certè non alia, quàm quòd Chriſtum ore quidem confeſſus aliter de ipſo credidit, quàm Euangelij habet veritas. Non qualem prædicauerunt Apoſtoli, ait D. Auguſt. Com. in Ioan. ſed qualem ſibi ipſe finxit, quia ex ſubſtantia Dei Patris negat ab ęterno genitum; aſſerens fuiſſe, quando non erat

Arrhius in Chriſtum quidem credit: ſed quia aliter credit quã fuit ab Apoſtolis adnũciatus ideo damnatus eſt hæreticus.

Dei filius. Deinde ante creaturas factũ: quod Apostolicæ fidei repugnat, cùm sit Patri consubstantialis; licet ea vox nusquam in scripturis diuinis legatur. Quod in Arrhio hic vides, idem in omnibus ad vnum hæresiarchis, ipsorumque discipulis tam nouis, quàm priscis, est animaduertere.

Caluinistas idem manet iudiciũ certumque anathema à Christo, quod iam olim Arrhium.

Sicuti igitur Arrhius suum dogma sacrilegum, Christum non esse Patri suo consubstantialem, non Deum de Deo, non ex substantia eius genitum, sibi finxit, pro Idolo coluit, veneratus est, adorauit; quod & de Macedonio, Nestorio, Eutychete, Manichæo est indubitanter sentiendum. Ita & nunc Caluinistæ anathema sunt à Christo, quia Christum ex substantia Patris genitum negant, sicuti & per omnia Maiestate ac dignitate parem & æqualem, ei secundum honoris & Imperij locum in cœlo tribuentes. Ideoque Patri secundum diuinitatem eundem filium facientes minorem: quod Arrhij blasphemiam sapit. Sic de cæteris omnibus hæresiarchis, eorumque discipulis est statuendum, tam priscis, quam

Omnes nostri seculi sectarios partem cũ Arrhio in puteo infernalis abyssi habituros procul dubio.

quam istis nouatoribus nostris, cum Christum alium, siue aliam Euangelij doctrinam sibi persuasam habeant, quam Apostoli ab initio Ecclesias docuere Christianas. Vnde & D. Cyprianus rectè tales demonstrat non esse Christianos, sed Antichristos, qui aduersa Christo sentiunt.

Porrò qui Christo aduersa sentiunt, tot sibi vera Idola fingunt, quot falsas sibi doctrinas statuunt. Omne namque mendacium, quod de Deo, inquit Tertullianus, rebusq; diuinis dicunt, gen⁹ est idololatriæ. Proculdubio igitur noua ista Euangelicorum doctrina tã discors, tam dissentanea, tam sibi mutuò dis dia pasón pugnans, verissimum est Idolũ, subdolis Sathanæ ac ministrorũ eius imperitia miseri istius populi abutentiũ artibus, nunc passim per Europã erectum. Quod esse omniũ verissimũ, statim perspicuè videat, quisquis illa Euangelicorũ omnium tam irreconciliabilia Euãgelicę, quã quisq; Syneuãgelicorũ arbitratur doctrinæ dissidia prudẽter cõsiderarit, atq; accurata cõsideratione, vti res tãti momẽti, vnde sal⁹ pendet

Cap. 6.

Omnis falsa doctrina verum est Idolum.

Euangelici falsam doctrinam statuentes verum cõmuni opera conficiunt idolũ.

Varia Confessionum & ordinationum Ecclesiasticarum per Germaniã genera sunt varia variantis perfidiæ instrumenta, quæ verum Antichristianissimi pariunt Idolum.

det æterna, expenderit. Liquidò enim hinc consequitur, nouum istud Euangelium, quod principes ferè singuli, oppida singula, & populi varij variè profitentur varium, & dissentaneis, immo pugnantibus, ne dicam abortientibus toties in lucem proiectis Confessionibus (quæ præter Augustanam, Tigurinam, Saxonicam, Vvittenbergen. Mansuelden. Anglicanam, Austriacã, Gallicanam, Antvuerpien. Polonicam & Bruinsvuicen. in horas expullulare non desinunt plurimæ) orbi protestantur, non esse verum Christi Euangeliũ; sed verissimum illud (modò verum mihi cum Propheta dicere liceat) Idolum Propheticum Esaiæ 44. quod illorum singuli, immane, quo quisque nisu, qua quisque molitione, qua quisque insana machinatione conantur statuere, ac reipsa per Europam erigere, ac quantum Deus Sathanæ, ita nostris moribus non bonis exigentibus, permittit ad tempus quoddam illos solidare, atque lætam in speciem cum Regno illius sacrilegi Ieroboam florere.

Cùm

Varij Sectarij huius ætatis Propheticum illud Esaiæ 44. commoliuntur erigere Antichristo Idolum.

Cùm enim iſti vniuerſi nouum doctrinæ genus Chriſtianis antea incognitum & improbatum, quod ſibi ſuo quiſque pro priuato iudicio fingit Dei verbo (vt quidem ſinguli incunctanter aſſerunt) conforme atque conſentaneum adferant, & cauſam alius aliam adducant, cur auita ſit Religio mutanda; cur à conſenſu totius orbis Chriſtiani recedendum; cur demum Romana Eccleſia ipſis neceſſariò deſerenda, conſideremus paucis, ſed attenti obſecro te mi frater Chriſtiane, an non & noſtris Euangelicis noui iſtius ſiue Euangelij, ſiue Idoli Antichriſtiani architectis reipſa vſu veniat, quod illis varijs Idoli Prophetici plaſtis, argentarijs, excluſoribus, pictoribus, ſculptoribus, tectoribus, atque fabris; quos Deus noſter tam longa non minus, quàm ſalſa ſibi putauit apud Eſaiam oratione ludendos, ac verè aculeato ſarcaſmo irridendos. Illic faber argentarius ſacrum aurum fornacibus incoctum figulinis, candentibuſque emollitum prunis in laminas bracteaſque facit lenteſcere. Deinde in quam voluit ſpeciem conflatum lima

Eſa. 44.

polit, ſcalpellis & aculeis repurgat, purgatum incude ac diro malleo complanat, & in viri ſpeciem decorè conformat. Faber lignarius ſuum ſimulachrum, tilia, ilice, aut quercu ſecuribus deciſum runcina & groſſis deradit, norma exæquat, amuſſi rectangulum facit, circino tornat, & varijs dolabrarum generibus dedolat, leuigat, polit. Alius terebrarum vertigine cauat, trabalibus clauis, vulcanioque malleo nutans Idolum ſolidat, ne hominum fortè manibus quaſſatum & conuulſum labefactetur, aut ventorum tempeſtate aliquando euerſum corruat. Accurrunt & Plaſtæ artis interpolatricis magiſtri, ac ne qua parte illiud hiet, aut hiulcum videatur, tectorio incruſtant arenario, aut marmoraceo, aut ne carioſum ſentiatur, admiranda ſua mangonizandi arte gipſo admodum belle ſubinde inſtaurant. Nec ei deſunt pictores egregij ementiendi coloris artifices, qui ſingulari lenocinio ſtybium & purpuriſſam illinant, ſynopide venuſtent, pigmentis ornent, fuco decorent;

ne quid Idolo ſuo tam operoſo deſit, quod ad illicienda & ſeducenda ſimpliciorum fratrum corda facere valeat. An non ad illorum inſtar & noſtri Euangelici, vt nouum ſuum quiſque Idolum, ſiue ſacrilegum nouæ doctrinæ ſimulachrum à Luthero quaſi vtero Pytonico conceptum, & artifice corde, licet craſſius & inconcinnius compoſitum ſtatuat, alius ſuo inſtructus Melanthone logodædalo, quaſi aurifabro illud impolitum & rudiuſculum ſermonis Rhetorici venuſtate perpoliuit atque inaurauit?

D. Hiero. Com. in Eſa. ita pingit execranda hæreſiatcharum idola: qui abutuntur vulgi imperitia vt noua ſua dogmata indoctis perſuadeant.

An non alius ſuo ſuffultus Martino Bucero illud ipſum prima facie ſubtilioribus Gallis aſperum & incultius arte Dialectica, velut aſcia, norma & runcina in conuentu Smalcaldico affabrè conformauit? ita vt vtriuſque partis fraterculis putaretur nunc belle conuenire ac per omnia placere. An non alius ſuo ſuccenturiatus furioſo Zuinglio, aut ſeditioſo Caluino illud variam in ſpeciem tornando reddidit formoſius, pluri-

Quorum opera homines auribus prurientes nouum iſtud idolum Lutheri conabatur ſtatuere.
Melãthõn.
Bucerus.
Zuinglius.
Caluinus.

pluribusque amabilius? An non alius suo suffarcinatus Iacobo Smidelino in paterna officina prunis adustulatum, lima politum, clauis vncialibus & vulcanio peritissimi patris sui malleo, ne corruat, studet solidare? verebatur enim meritò vir sagax, ne mutuis, ijsdemq; intestinis sese cõficerent isti sui Cadmæi fratres dissidijs & laniatibus efferis trucidarent, ac de medio delerent: cùm iam pridem haud temerè glorientur alij de ruina Idoli Saxonici. An non alius suo fretus Stephano Doleto, aut Petro Ramo, ac Pyrrhonicis eius discipulis prophano eius dolabra conatur extuberantes etiamnum (vt ille vertiginis Spiritus nunquam suos stare constantes sinit) partes dedolare, ac blandiori splendidioris orationis lenocinio leuigare, quo fœlicius tandem aliqua inter ipsos coëat concordia? An non alius nefaria sui Theodori Bezæ Vezelij flagitiosissimi quasi doctissimi impietatis omnis veriq; Atheismi in orbem inuehendi magistri vsus opera, omnia illa sedulô adhibet, quæ ad cariosum illud nouæ doctrinæ, siue Anti-

Iacobus Smidelin⁹ siue faberculus.

Stephanus Doletus. Petrus Ramus.

Theodor. Beza.

Cariosum Lutheri Idolum subinde instauratum.

Antichriſtianæ heterodidaſcalias ſimulachrum à Luthero quaſi vtero pythonico formatum, & lambente cothurnato illo Melanthone in membra quaſi humana decorè iuxta ac variè cõformatũ; à Bucero denique & Caluino callidè ad verſipelliorem ſimpliciorum fraudem reformatum, alijſque Syneuangelicis aut aſcia, runcina, torno aut dolabella denique politum, & orationis ſplendidioris fuco, ſtybio, purpuriſſa exornatum, & omni adeò lenocinio deauratum, conſtabiliẽdum facere videatur? quod ſi hi architecti & Propheticorum illorum fabrorum Principes nondum ſuorum dicipulorum auribus prurientium, adeoq́; indies noua, ventri dulcia, inguini grata, & ſibi placentia poſtulantium faciunt ſatis voto, ne quid ad veritatem ementiendam putetur deeſſe, accurrunt & plaſtę, qui neutralium quaſi partes hoc in Theatro Europæ ſibi vendicantes hiantia corporis malè ſarti membra, iniecto veluti tectorio marmoraceo, faciunt belle coaleſcere, ſimul & auguſtius ſplendeſcere.

Neutrales quam operam ſtatuendo iſti idolo attulerint.

Deni-

Pictores & verborum nugacium cultores nō desunt.

Denique pictores aduolant (non enim desunt ipsis pictorij & schilderi, quicquid libitum fuerit venalitio suæ politæ orationis penicillo pingere, in omnem formam paratissimi) qui glabras, dissimilesque corporis huius tā belle centonum in modū conflati partes alijs omni lenocinio, stybioque & purpurissa conformet, ne aliunde fœda nouæ doctrinæ cicatrix tandē appareat. An nō ex his obiter adumbratis, leuiq; penicillo delineatis idē prudentib⁹ viris agi videatur in pariendo, lambendo, poliendo, pingendo & stabiliendo nouo istius Euāgelicæ doctrinæ Idolo; quod olim idololatras in fingendo sibi aut liberi patris, aut cinædij Iouis Idolo ad viuam viri imaginem conformādo sategisse apud Esaiam Deus conquerebatur? Certè quod illic Deus ad populi sui consolationem læto effert

Certa euertendi Euāgelicorum Idoli spes vnde oriaturCatholicis.

" oraculo, fabri enim eius, inquit, sunt
" ex hominibus: oēs eius particeps con-
" fundentur, Plastæ Idoli omnes nihil
" sunt, & amantissima eorū etiā nō prodērūt eis; id ipsum & nobis Catholicis nō mediocrè parit solatiū, quod indubiam

biam iſtius Antichriſtiani ſimulachri, quod per Europam per annos 50. Sathanas parturire nō deſinit, pollicetur ruinā. Omnes namq; fabri huius Idoli nihil ſunt; omnes plaſtę ipſi⁹ nihil ſunt; omnes eius participes confundentur, æternaq; afficiendi ſunt ignominia, ne dum iſthac temporaria: quia quod heri adamauit in Luthero Saxonū Apoſtolo quidam, cras diſplicebit, & ad impiā Caluini hoſtis Sacramentarij officinam tranſlatus pro Idolo execrabitur, quod antea adorabat. Rurſus ſi alius ei gratior faber, aut verſipellior plaſtes obueniat, qui venuſtioribus illud nouæ doctrinæ Idolum norit incruſtare marmoribus, aut ſplendidioribus māgonizare lenocinijs, gratioribuſq; interpolare pigmentis, & emblematibus, perendie diris deuouebit: quod dudū cū Helueticis & Gallis totus adorauit, quod nūc, pro dolor, nō pauci nobiles minimè ꝓfitentur, qui libros illos Sathana doctore Geneuæ, atq; alibi cōtra tres N.N.N. impoſtores cōſcriptos nocturna verſant manu, verſantq; diurna. Denique ſi fortaſſis poſteà ille infelix

Inconſtātia Principum in noua Euangelicorum doctrina certam ipſorum loquitur ruinam.

Vita Caluini Beza.

H.N.

Henricus Nicolai nouam Atheismi fallat fabulam.

H. N. libertinorum, siue, vt quod res est, vno dicam verbulo, indissimulatus Atheismi professor placuerit, an non de fidei Christianæ actum est doctrina? Huc huc collimant omnes nouæ istius heterodidascalias & pseudoeuangelicę doctrinæ architecti? Quorsum enim arbitreris pie lector toties illa Pandora Confessionis Augustanæ, vt alias taceam, fuit à Melanthone ac Vvittenbergen. initio eruti quasi ex orco istius Idoli, immutata, decurtata, aucta, adulterata? Quorsum Smidelinus exolescente illa quasi præ senio (nam ætatem sexagenariam infœlix senicula & malè nata, quia abortiente toties matre, languidula & tenella, ferre non potuit sua velut aschia, immò bipennij sua vulcania & gladio vere delphico vniuersos implacabilium inter ipsos discordiarum nodos, conabatur tam insano molimine, oreque Thrasonico semel præcidere, atque consentaneam, si Christo placet, Euangelicorum inter se concordiam (quam homo insulsus audacia bis Cyclopica iactare non erubescit) orbi persuadere? hæc quorsum suis

Quem scopum Euãgelici initio spectarint, paulatim elucescit, ac nunc dies clarè docet.

ſuis ab incunabilis ſpectarint, obſcurum nunc amplius verum videre volentibus eſſe non poteſt, poſtquam Melanthon varios illos poſt cothurnos Confeſſioni Auguſtanæ tanta religione, admirandoque ſcilicet artificio indutos ſuam illam tam diu callido ſub pectore vulpem occultatam, atque præclaram illam animi ſui Protheo digni ſententiam tandem orbi declarauit: quæ ad Comitem Palatinũ olim ſcripta teſtamenti loco nunc à Sacramentarijs magna circumfertur ambitione.

Philip. Melanthon Germaniæ Protheus ac quidam Cothurnus.

Huic ſuccenturiantur nunc non paruo manipulo Vvittenbergen. Theologi, qui ſuum nouum Catechiſmum, anno 70. ita ſcelerato Caluiniſmi lenocinio pingere, blandiſque pigmentis condecorare aggrediebantur, vt Idolũ Lutheranum modò factum ſit Caluinianum: quemadmodum poſt Manſvelden. & alios Theologos Chemnitius cum reliquis Bruinſvuycen. ſuo declararunt ſcripto: licet Martinus Chẽnitius locis non paucis auſit contra iuratos magiſtros ſuo veluti tectorio il-

Idolum Vvittenbergenſe in horas degenerat in Geneuenſe.

Im bedencken von newẽ Wittenbergiſchen Catechiſmo / Anno lxx. fol. Biiij.

 lud

lud Lutheri vetus Idolum expolire, immò si verum dicere fas est, nouis subinde vulneribus defœdare, quando contra veram Confessionem Augustanam, & illam primam ac suos Syneuãgelicos non pauca defendit tumidi animi simulachra; ne se ab ijs alienum conuincat, qui Sathanicæ dissensionis, impięque discordiæ Deum colunt. Postremò vt breuis sim, nec sui desunt isti nouo Idolo plastæ subdoli, atque incrustatores vafri ab Ezechiele iam olim notati: qui omnia huius Idoli vulnera tam atrociter varia, & tantum non deplorata corpori doctrinæ istius Euangelicæ inflicta nouo tectorio marmoraceo iam conantur collinere, ac veterem tot annorum plus minus sexaginta cicatricem sanari nesciam, sublatis, immò dissimulatis quasi vomicis omnibus in probam quasi integrę sanitatis speciem reuocare. Horum pseudoprophetarum partes hac in scena nunc præclaro suæ inauditæ conciliationis facinore explent Tigurini: qui omnibus Euangelicis fratribus (ne aliqua saltem deesset con-

Noui plastæ stabiliendo Antichristi idolo accurrunt Tigurini.

Confessio Tigurina.

cordiæ

cordiæ Euangelicæ tandem conciliatæ ſpecies, licet alij non mediocriter ad rauim vſque reclament Syneuangelici) pacem ſeſe obtuliſſe ſcribunt, exceptis ſolis Brentianis, ſiue factioſis Iacobi Smidelini coniuratis: quòd eius imaginariam illam Sacroſancti Dominici corporis vbiquitatem monſtrum pſeudopresbytero illo digniſſimum nullus hodie, ne inter impios quidem Sacramentarios, tam doctus reperiatur pictor, qui vlla hypotypoſi, aut ſciographia queat vllo ementiendi coloris artificio veriſimilibus fucis informare, aut vllo lenocinio viuis coloribus adumbrare, nedum pictæ tectorio linguæ incruſtare.

Tigurini omnibus ſyneuãgelicis concordiæ oſculum offerunt. exceptis ſolis Brentianis vbiquitariis.

Ioan. Brẽtius pſeudopresbyter apoſtata Idolum ſuæ vbiquitatis ſibi finxit, quod Sacramentariam perfidiam ſua vincit impietate.

Verùm dum poſt atroces, immò funeſtas, adeoq; ſanguinarias Euangelicorum fratrum inter ſe pugnas iſti vaniſſimi fragilis tugurij (quod in cucumerario videt Propheta Dei) plaſtæ, ſiue Tigurini illi apud Ezechielem parietarij & tectorij (qui rimas agentem ac malè coalitam impiæ atque prophanæ nouitatis maceriem, lubricumque

Ezech. 13.

Tigurini euerſum Idolũ conantur ſuo reſtituere loco vt olim Azotio ſuum Daghonẽ.

parietem conantur suo tectorio, sed absque paleis, luto sordidante obline- re, atque incrustare) clamitant sese omnibus Euangelicis fratribus pacem nūc tandem obtulisse, quidnam obsecro pie lector faciunt aliud, quàm vt Idolum illud Azoticum Dagon iam pridē & capite truncum, & manibus mutilum ante arcam Dei (qui typ⁹ est Symbolicus Catholicæ Christi Ecclesiæ) prostratum suo conantur restituere loco? An enim nouum illud Saxonicæ fidei, siue Augustanæ Confessionis Idolum suo non fuit capite truncatum, quando ei tot in ipsis adeò (vbi Pandora illa exoriebatur) Comitijs Augustanis fuerunt oppositæ aliorum Syneuāgelicorum vt Argentinen. Constantien. & aliorum Confessiones? Certè si de hoc quis meritò dubitet, caput ei fuit proculdubio truncatum perspicuè, quando ei Decimus ille articulus de præsentia corporis Domini sub speciebus panis (inquit prima Confessio Carolo V. exhibita) fuit subdolè suppilatus

1. Reg. 5. Daghon fuit Azoticorum & Palæstinorum Idolū piscis lubrici specie: quod symbolicôs signat voluptuariam hæreticorum doctrinam ante Christi Ecclesiā cadere ac iacere prostratā.

Idolo Saxonico Augustana Confessione adumbrato caput cum Daghone Azotico vbinam præcisum, an Augustę per Syneuāgelicos, an postea per Melanthonem: qui paulò post capitalem & principalem de S. Eucharistia doctrinam sacrilege mutauit, detruncauit, expilauit.

latus, & illa aureola eiusdē articuli appendix (quòd certissimum fuit Lutheranorum & Sacramentariorum discerniculum, & improbant secus docētes) fuit vafro istorum fabrorum, dolatorum, & panurgorum artificio detruncatum. Manus verò an non liquidò sunt huic Idolo voluptuario (quod suo indicat nomine Daghon, quod piscem sonat, in cænosis voluptatum carnalium paludibus volutantem) præcisæ, quando Luthero Brentius, olim alter ei Achates, manusque dextra cæpit sua cum schola Tubingen. dogmatibus fidei non paucis, nec ijs leuibus aduersari? Similiter quando Andreas Osiander cum Schola sua Magdeburgen. & Borussis in primario quasi palmario iustificationis articulo tam acrem & conciliari nescium Luthero sese obiecit antagonistam? Taceo nunc illas nouas Saxonicas Idoli Saxonici manus, Theologos Lipsenses & Ienenses, qui sua opera illud tot per annos cùm frustra studuissent statuere, nunc ex professo idem nituntur cum Mansuelden. Bremen. Heidelbergen. alijsq; funditus euertere.

Duæ Idolo Saxonico manus Ioannes Brentius & Andreas Osiander Confessionis Augustanæ primipilares quando præcisæ.

Fimbriæ Apostoli in cœna Christo assidentis pictores Cõfessionistæ Zeelandi olim inscripserũt. D. Martinus Lutheris: quòd Idolum Zeelandi Caluinistæ cum Daghone Palæstino euicerunt.

Illud hic silentio non est mihi prætereundum, quod nota per Belgium narrat historia, mihi ab oculatis testibus relata. Pictores quidã Martini Lutheri studiosi tanto capti erant Confessionis Augustanæ amore, vt eius Authorem Lutherum in tabula SS. Altari imposita depingere non dubitarint tanquam Apostolicã Christo Domino in cœna assidentem atq; verba Domini de calice laicis communicando in ipsa cum Apostolis cœna audientem. Eaq; de ore immò de pectore Christi sugentẽ, cuius pallij fimbriæ inscriptũ legebatur D. Martinus Lutherus. Ita quidem fuit iste Apostolus ab illo Confessionistarum grege, velut Idoli statua in altari quondam collocata exornatus, & in columnam erectus, ac tantum non Dei loco adoratus. Licet maiori quadam ac veluti augustiori sanctitatis specie illum honorare volunt discipuli ad mare Saxonicum, qui egregiam statuam in templis ipsi erigere non dubitarũt, cuius vertici columbę figura Spiritus sanctus Doctor affingebatur. Sed Caluinismo Zeelandiam infœ-

Imaginis Lutheri vertici doctorem Spiritum sanctum affingunt Lutherani.

infœlicissimè omnium inundāte, proiectus fuit admodum Daghonis illius Palæstini mutilus noui Idoli Lutheri truncus, vna cum sua Augustana Confessione. Cui inter Caluinistas, potiss. Palatinos Heidelbergæ (vbi Lutherus sua cum doctrina fuit non modò explosus: sed tanquam hæreticus etiam anathemate damnatus) an alius sit locus, quàm fuit coram arca Domini Daghoni, notius est, quàm vt hic de eo sit differendum fusius. Nonne in hac Protestantium tragœdia pij omnes vident perspicuè Confessionem Augustanam tanquam Dagonis Idoli truncum suo quidem adhuc loco in Azoticis illis Albæ paludibus stare? hoc est, suum quidem habere Idoli nomen sed sine re, ac quæ suo, ad illius instar, & capite & palmis sit truncata? Ita quidem sese ingerunt Euangelici, quando suum illud Propheticum & nouitium, siue, vt Dauid appellat, זר zar πρόσφατον recens & Neotericum humanæ doctrinæ, Deoque aduersariæ conantur Idolum mutuis inter se dissidijs labefactatum statuere, pigmentis fucatis

Idolum Saxonicū Martinus Lutherus passim aut aboletur, aut in Apocalypticam Caluini ęmuli bestiam degenerat. Vnde libellus de ruina Papatus Saxonici.

Alba vel Elbis Saxoniam interfluit: cui Vvittenberga incumbit. Psal. 80. Deus recens protestantib⁹ est nouum Idolum.

defœdatum palliare, tectorio marmoraceo hians atque omni ex parte hiulcum incrustare; aut denique sophistico picturatæ ac tessulatæ orationis lenocinio fœdis priscorum hæresiarcharum vomicijs deformatum deaurare, ac veluti gemmato auro augustare.

Cap. 7. Nunquam pijs desunt notæ quibus astutas diaboli fraudes suæ saluti structas deprehēdant modò sese sui incuria non eant perditum.

Verùm quocunque tandem artificio, elaborataq; stropha homines isti, docti quidem & humana eloquentia, disciplinisque varijs haud vulgariter instructi simul & culti, suas dæmoniorum doctrinas palliare, atque fucis veritatem ementientibus exornare conantur: semper tamen pijs Dei cultoribus illorum fraus in primis perniciosa subolescit facilè. Etsi enim istorum Magister Sathanas Dei permissu sese transfigurans in angelum lucis omnibus modis studet sua pijs occultare cōsilia, exitialesque dissimulare fraudes: Deus tamen suæ memor in homines clementiæ, suis electis dat, teste Dauide significationem siue σημείωσιν, notam ac signum, quo fraudis hostilis admoniti, cautique fugiant à facie arcus, siue à

Psal. 59.

gras-

grassante periculo à negotio ambulante in tenebris, & præsenti exitio. Itaque non obscurę semper fuere pijs quędam notę in agnoscendis Sathanę ministris, modò animum serio aduerterent, atq; peruigilanter suæ salutis æternæ curam gererent. De his omnibus modò non est dicendi locus, illam vnam tantum hic persequemur, quæ Solis luce clarius omnibus malicia non excæcatis, nec peruicacia præfractis demonstret, hæresiarchas cum priscos, tum nostri temporis hæreticos, manifesta diaboli opera vsos ad dispergendum Christi Iesu ouile, atque vniuersas eius ouiculas, quôd in ipsis erat dissipandas, mactandas, deuorandas.

Collatio hæresiarcharum priscorum dæmonis opera non obscurè vtentium cum nostri seculi hæreticis, qui sua cum dæmonibus iactant colloquia.

Magna fuit Sathanæ impudentia, quôd per Montanum hæresiarcham opera dæmoniorum vsum noua Religionis Christianæ dogmata fuit ausus orbi obtrudere: Sed nunc temporis multò est impudentior, quando non solum suis nocturnis reuelationibus, sed corporali etiam specie visibilem sese suis mancipijs Luthero, Zuinglio, Campano, Caluinistis, Dauid Georgio

&Anabaptiſtis non dubitat oſtentare, dulciaquein ſpeciem colloquia familiariter cum eis miſcere. Quod enim latenter ac veluti ex inſidijs olim per cæteros moliebatur hæreſiarchas, per iſtos tamquam in ſuæ tragœdiæ hominum ſaluti infeſtiſſima cataſtrophe quaſi aperta fronte agit. Tam erat pijs notum olim Montanum pſeudoprophetam, ſuas per meretriculas Priſcillam & Maximillam opera diaboli nouas confingere dæmoniorum doctrinas, vt fuerint non pauci ex Chriſtianiſſimis viris, qui deprehenſa diaboli aſtutia exclamare, diſertiſque verbis profiteri non dubitarint ſeſe velle Sathanam pijs Eccleſiæ exorciſmis expellere.

Euſeb. 5. c. 16. Niceph. 4. cap. 23.

Inter quos primas facilè tenebat Zotas Anchialen. qui teſte AElio Publio Iulio Epiſcopo Debelten. Colonia Thraciæ (vt Epiſtola D. Serapionis Antiochen. apud Euſebium lib. 5. cap. 16. extat) voluit Priſcillæ pſeudoprophetidis dæmonem ἐκβάλλειν, eijcere: ſed illi hypocritæ non permiſerunt. Sic

&

& Zoticum presbyterum Comaden. & Iulianum Apanen. aliosque illum insanum Maximillæ spiritum coarguere fuisse conatos. Sed eius fautores Temison cum suis illum ab instituto prohibuerunt, teste Apollinario Hieropolitano. Cæterum vt Theodotus Montani Patronus à dæmone sublimis aliquando rapiebatur, sed Spiritū Symonis Magi æmulo: ita & Montanus & Maximilla furioso Spiritus sui sessoris impulsu laqueo sibi mortem consciuêre. Hoc in exemplo equidem ambigo vtrum maiore dignum sit admiratione, an quod hæresiarcha Montanus fuerit ausus tam impudenter diaboli opera vti ad doctrinam Ecclesiæ corrumpendam; an quòd eius discipuli, quos meritò Ruffinus adulatores vocat, tanta fuerint mentis cæcitate, vt sceleratum sui certi exitij authorem dæmonem illas Prophetissas obsidentem noluerint pijs Ecclesiæ Christianæ precibus & exorcismis profligari. Tam enim est misera ac verè deplo-

deplorata mortalium quorundam cõditio, vt ſua excæcati malitia ſuæ ſeſe reddi non patiantur ſaluti. Equidem mihi perſuadere non potui, poſſe homines non ſtolidos, aut mentis non emotæ ad eam prolabi impietatem, vt ſuas hæreſes vel conuicti agnoſcentes, eas malint obtinere, adeoque propugnare, quàm deſerere, execrari, deteſtari, niſi exemplo minimè obſcuro res mihi eſſet comperta. Cùm in Friſia nouis dogmatibus dolendum in modum deprauata iuſſu Philippi Catholici Regis Vicarium Reuerendiſſimi Epiſcopi Traiecten. & Archidiaconorum agerem, varijs cum ſuſpectis, immò publicè notis hæreticis fuit colloquium, ac frequens diſſertatio. Vnus inter eos fuit nominis percelebris, nec ineruditus, qui argumentis à me familiariter expoſitis cum non haberet, quod prudẽter ſatis reſponderet, admonitus vt ſuum agnoſcens errorem expueret, animoque eijceret, quicquid hactenus ab auita Religione, eademque Catholica diuerſum hauſiſſet fermenti Euangelici ac verè Phariſaici, hæreſiarcharum
aut

aut colloquijs, aut venenatis libellis lectitandis imbutus, nescis, mi D. Doctor (inquit miser) nescis, quàm suaue sit parum Lutherizare? Equidem infœlici huic vsu venisse doleo, quod in febricitantibus deplorare solemus, quãdo dulce amarum censent, tenebrasque phrenetici putant lucem; immò suam cæcitatem iudicant veram esse perspicatiã. Vera enim animi laborant phrænesi quadam, qui ita delirant, vt putent Christo posse conuenire cum Belial; luci cum tenerbris; veritati diuinæ cum humano mendacio; Apostolicæ doctrinæ cum Luthero, Mennone, Caluino, Campano. Quo Dei nostris moribus iratiss. flagello quàm multæ hominum cædantur hodie myriades, ita iustissimas peccatorum grauiss. luentes pœnas, infandum prorsus est, ac penè incredibile. Ad hanc enim classem omnes pertinent, quotquot aliquo Sathanico implicati nouæ doctrinæ laqueo ab auita claudicant doctrina. Quam claudianorum nostri seculi turbam sanè immensam quis Ieremias idoneis deploret lachrymis? quis tristibus

Quotquot in fide auita & Apostolica claudicant, à Christo sunt alieni & regni eius extorres.

Gal. 5. bus ſatis lugeat elegis? cùm D. Paulus Dei iuſſu nobis pronunciat non magis poſſe ad regnum Dei peruenire, qui ſectas ſequuntur, ſiue hæreſim ex animo amplexantur; quam qui aut ventri dediti ſunt, aut malè caſti alienas molunt vxores, aut cupidi rapiunt non ſua.

Plaga Dei nunc ſenior in hæreticos noſtri ſeculi quam olim, quòd nūc ſunt multo illis cæciores.

Quæ manus Domini plaga multò ſenior in noſtri ſeculi homines graſſatur, quam vllo vnquam orti Chriſtianiſmi tempore, quantum equidē memoria poſſum recolere. Nam multò apertiora loquētis in Luthero, Zuinglio, ſiue Caluino, Campano, & Anabaptiſtis Sathanæ ſigna diuinitus data extant; quam olim in hæreſiarcha Montano, aut quouis alio dæmoniorum doctrinas per orbem diſſeminante. Siquidem noſtræ tempeſtatis hæreſiarchas iſtud publicè ac propalam profiteri non diſpuduit. Scribere namque ipſi audent ſeſe familiaria cum diabolo erroris omnis, nedum hæreſeos authore colloquia non ſemel miſcuiſſe perquàm familiariter; vti mox & Lutheri, & Zuinglij verbis fiet conteſtatum.

tum. Longum foret totam Martini Lutheri tragœdiam texere, quæ istud pijs fusius exponat lectoribus: sed aliundè, qui desiderat, petat, quonam pacto cœlitus fulmine ictus vouerit sese monachum futurum; & cucullatus à dæmone arreptus volutabatur in choro; quando legente Diacono illud Euangelij: Iesus eijciebat dæmonium quod erat mutum, exclamauit, ego adhuc loquar mundo.

Cæterùm quòd Lutherus malo fuerit actus spiritu tam fuit initio huius exitialis tragœdiæ sub anno Domini 1518. vulgo iactatum, ne dicam publica voce omnibus persuasum, vt Carolus V. vnà cum ordinibus Imperij Rom. edicto Imperiali tunc Vvormatiæ, post colloquium cum Reuerendissimo D. Cardinale Caietano habitum pronunciare non dubitarit, videri eum malo Spiritu obsessum. Quod ipse adeò Lutherus non iuit inficias, vt sua cum suo dæmone Socratico colloquia, & ea frequentia & perquàm familiaria scriptis orbi testata facere non erubuerit, quod paucis eius verbis

Cap. 8. Lutherum dæmone actum istã nouisse tragœdiã.

Ex Edicto Caroli V.

Ex manifesta Lutheri Confessione. Anno 1534. diabolus noctu Lutherum hærentem & sedantē adijt. Vide lib. de Missa angul. Tom. 7. pag. 228. editionis Vvittenbergen.

verbis profuerit pio lectori exposuisse. Libello suo de Missa angulari diabolum & se ait inter sese mutuum familiariter nosse, & quod plus vno salis modio simul commederint. Hunc ipsum mendacij Magistrum suæ doctrinæ iactat authorem, qui nocte quadam, ait eodem libro, ipsum à somno excitarit, & tanquam in corde alloquens, admonuerit ad scribendum contra sacrosanctum altaris sacrificium. Eundem quoque inducit, secum disputationē, ac fortiora contra Missam argumenta proferentem, quàm quæ refellere Lutherus potuerit. Rursus libello de Missa priuata diaboli magistri sui vocem depinxit, tam grauem, inquit, robustā ac terribiliter sonantem, vt post collationem nocturnam cum eo habitam homines quandoque reperiebantur mortui; animamque ita reddi anxiam, vt in vno momento cogatur è corpore migrare; quod sepè sibi etiam propè accidisse scribit, & tandem sub vitæ finē, ait Reuerendissimus D. Hosius, re-

Mors Lutheri qualis hæresiarcharum Mōtani & Nestorij.

ipsa euenit. Probè enim potus & hilaris postridie mane in lecto reperiebatur

tur mortuus. Atrociorem vitę istius sacrilegi catastrophen copiosius Reuerendissimus D. Claudius Sainctesius Episcopus Ebroicen. libro de rebus Eucharistiæ scribit, quòd cum Lutherus vesperi egregie potus lecto decubuisset, mane nigricans inuentus est occubuisse lingua exerta, hominis strangulati instar. Sed illud omnium est fide dignissimum, quod scribit D. Ioan. Cochlæus. Cum habitu adhuc monastico pium orbi mentiretur monachum in Monasterio Erffordiæ D. Augustini, & Dominica tertia Quadragesimæ illud legeretur Euangelium de surdo & muto dæmonio, repente in terram ipsum cecidisse horribiliter vociferantem, non sum, non sum, ego adhuc loquar mundo. Si non contigit ei ex morbo comitiali vti olim Mahumeto, illi vero Antichristo, viderint discipuli cuinam causæ insanas hasce, aliasque Lutheri magistri sui voces meritò asscribant. Nec defuêre viri fide dignissimi, qui sibi visum fuisse dæmonum corporaliter cum Luthero conuersari adfirmarent. Sanè disertis verbis profitetur, nō

modò familiaria cum diabolo colloquia: sed tam frequentem illius accessum, vt vel dormientem à somno excitarit, ait libro de misso angulari, admonens aduersus Missam esse scribendum. Addit Reuerend. D. Claudius Sainctesius, Lutherũ testari, plerũq; se nocturnam à dæmone pati infestationem.

Osiander.

De Osiandro similia sunt qui narrant. Scribit enim nobis quidam amicus nõ obscuri nominis, sese à fide dignis viris accepisse, cùm aliquando mẽsæ accumbebat Osiander, visum fuisse in ipsius Musæo quendam pluteo assidentem, illi minimè dissimulem: qui scripto suo verba scilicet Euangelica dictabat redituro à mensa discipulo.

Cap. 9.

Iam ad alteram istorum nouorum magistrorum classem transeamus, qui dæmoniorum doctrinam teste D. Paulo sequuti, manifesto sunt apparentiũ dæmonum magisterio vsi.

Ioannem Campanũ familiariter dæmone vsum, quem fu-

Ioannes Campanus ita hoc execrabili dæmoniorum magisterio passim est nobilitatus, vt de eo non magis plerique hac in vicinia, dubitent, quàm si

ſi quis meridie roget, an ſol luceat.

Sunt enim qui illũ carceri Iuliacen. 26. annorum (quo ſeſe purgatiſſimũ ad Danielem & Apocalypſim, ſi Chriſto placet, ſingulariter intelligendum iactitat) incluſum, viſitantes & varia Cãpani cum illo audiere colloquia, & in feneſtra quendam noua & inſolita ſpecie illum alloquentẽ viderunt. Quod ne cui ſupra fidem dictum videatur, aſſcribimus quod vir quidam non obſcur⁹ ad nos hoc anno 76. ſub menſem Septemb. perſcribere dignatus eſt.

tura ſcilicet prophetare putabat.

De Campani colloquijs cum cacodæmone, inquit, aliud nihil ſcio, quàm quod aliquando ex ore Adolphi Baerſs filij Cancellarij Cliuenſis audiui, cuſtodem carceris aliquando nigram vidiſſe vmbram, in feneſtra prope illum: quæ, ipſo cuſtode introëunte diſparuerit. Campanum verò de ſpiritu quodam familiari multa ſibi perſuadere: cum quo habeat colloquia: quamuis in promiſſis fallacẽ ſæpe deprehẽderit. Audiui aliquãdo ex ore Georgij Caſsãdri, quod ab eo rogatus, quare tã fallaci ſpiritui crederet? nihil reſpondit aliud

Ioannes Campanus in carcere per annos 26. detentus à Duce Cliuię, frequenter cum diabolo miſcet colloquia.

Georgio Caſſandro fatetur Campanus ſuas cum dæmonib⁹ familiares congreſſus

 quàm

quàm quòd ſpiritus aliquando fallant homines, quamuis vt plurimum vera loquantur. Hæc ille.

Iſta Euangelicorum à dæmonibus noſtro ſeculo inſtructorum exempla, vt magis vera comprobentur, equidē intereſſe opinor piæ poſteritatis noſtrę vt quędam illuſtriora iſtorum pſeudoprophetarum facinora fuſius exponātur. Anno 28. die Purificationis ſcripſit Campanus quibuſdam de euertendo Eccleſiæ Colonien. Epiſcopatu intra annos quatuor: cuius autographum ſeſe etiamnum habere ſcribit N. ciuis oppidi non obſcuri ad Moſam: quod ita ad verbum ex illius literis ſemiſaxonicis nobis viſis conuertimus: Si Epiſcopatus Colonien. intra annos quatuor nō euertitur, dicite Spiritum meum, (ſcribebat Campanus) non eſſe Chriſti: ſed mendaciorum, & diaboli. Sin autem euenerit, quod equidem certum habeo, cogemini agnoſcere, me veritatis ſpiritum habere. Quando verô illud acciderit, canite mihi, oſecro, illud canticum læti, certè Campanus vera prædixit. Quod ſi non euenerit

Prophetā ſe fatetur Campan⁹, & de Colonien. Epiſcopatu euertendo prophetat. intra annos quatuor.

rit intra quadriennium, vitæ atq; corporis vobis reus fuero.

Plura istius fanatici quid profuerit commemorare affectati Prophetici spiritus exempla? cùm illius fuerint simillima, hoc est vanissima. Persuaserat miseris rusticis non longè à fluuio Rura degentibus, quod vel hodie res ipsa loquitur, & testantur vicini, ne amplius austeris sese frangerent agriculturæ laboribus; non sese frustra duris vexarent, diutius fatigarent, enecarent, fodiendi, arandi, metendi sudoribus, instare diem iudicij; breui omnia inundationibus aquarum delenda, indulgerent genio igitur; molliter sese tractarent, suauius viuerent, quod misellę supererat vitæ rusticanæ; omnia propediem certo certius peritura. Illi stolidi stolido ac deliro Prophetæ creduli, suos vendunt agellos: qui illos emit, sensit non frustra sese illum aluisse Prophetam. Idem is æruscator quando ad me anno 74. venisset, quosdam Campani sui alumni offerēs libellos examinandos; persuasum sese tenere mihi narrabat, de illo disertè à Dauide Pro-

pheta Psal. 125. Als die Jongelinck van Maesyck sal komen sayen syn saet: aliaque plura de Danielis Prophetia sese habere dicebat breui implenda; quòd tres captiui essent ducendi Electores Imper. Rom. Istiusmodi delirijs delirus Campanus delirum illum dementabat senem: quæ suo à Spiritu subinde ad ipsum recursitante, sese habere miser crepitabat certo futura. Quod si quis ausit inficiari, non desunt, qui se suis auribus ex Campani ore narrant audijsse, cùm ei fortè in carcere adesset, & colloquentem dæmon recursitans interturbaret. Iterumne (inquit ei Cãpanus) tu ades? Bist du weer daer? Satis suo sermone indicans, submolestum esse importuniorem tam execrandi magistri recursum.

Ex voce Damesek, vel Masek sibi suam fingit Cãpanus Maeseik: quod de se ait prophetatum, vt & illud, Inuenimus eum in campis syluæ: cum à campo appellaretur.

Tertia classis Anabaptistas habet, qui suum Gabrielem Archangelum mysteriorum suorum abominandorũ iactitare nõ verentur doctorem; cuius reuelatione, claraque apparitione passim profitentur suam sese hausisse doctrinã nouam Euangelicam, quemadmodum libris VI. contra eos editis scribit

Cap. 10. Anabaptistas suum magistrum dæmonem crepant ac Gabrielem appellant.

bit Henricus Bullingerus. Plurimum hi de Spiritu, inquit, lib. 2. gloriabantur, qui ita efficax in ipſis eſſet, vt extra ſe raperentur, & ſingularia ac diuina viſa & myſteria quædam cernerent. Cùm verò Spiritus in eis agere inciperet, faciem mutabant, geſtus habebant horribiles, & in terram procidebant, perinde quaſi comitiali morbo laborarent: & in terra porrecti mortuis ſimiles iacebant, idque longo tempore, quandoq; totũ ipſorum corpus horribiliter tremebat: aliquando quaſi obriguiſſent inſtar truncorum iacebant. Ab extaſi aũt ſua & ſomnijs euigilãtes, mirandas viſiones recenſebant: quas ſpiritus eis patefeciſſet, & ipſi in alio mundo vidiſſent. Edocti enim erant, Anabaptiſmum ſanctum eſſe, Deumq; authorem habere, pędobaptiſmũ vero impiũ, & à diabolo eſſe. Quidã Zuinglium apud inferos viderant, alij audierant à Deo repudiatos & abiectos eſſe omnes, qui Anabaptiſmum impugnarent. Omnium hæc vox erat, patris voluntas eſt, pater iuſſit, vel dixit, omnes aut ſaltem maior ipſorum

pars videbat diem Domini instare.

Certè de illo nebulonum omnium infœlicissimæ huius ætatis Magistro Dauide Georgij notius per Hollandiã dæmonum opera & magisterio vsum, quàm vt sani capitis sit dubitare. Tanta enim dęmonum familiaritate vsus fertur, vt publicè magus crederetur. Qui eo insaniæ est dæmoniacis illusionibus deturbatus, vt miser sua ipse manu libello apud nos extante rubrica scribere non dubitauerit, sese aliquando in visione raptum fuisse, Eccè (inquit) & vidi (sic enim ad verbum barbari illius sonant voces) ecce & vidi, & audiui Patris cœlestis (hoc enim nomine mirificè istud impostorum genus gloriatur, vt & sagæ solent ferè suum illum concubinum dęmonem appellare) vocem ad me loquentis; Tu es filius meus, ego hodie genui te.

Dauid Georgij.

Cap. 11.

Nunc quartum huius infaustæ contra Dominum & Christum eius militiæ adeamus manipulum: qui sese Sacramentarios profitentur. Hi tanquam peculiaria istius execrandi mendaciorum magistri mancipia hoc imprimis insig-

insigniter gloriantur doctore. Zuinglius ipse horum si non author, certè primus, acerbissimusque impietatis istius dæmoniacę propugnator, de suo istiusmodi dæmonis doctoris magisterio scribere non veretur. Didicerat ex cuiusdam Bataui scriptis, Est, in significat commutare in SS. Eucharistiæ verbis: sed exemplum ex sacris literis non suppetebat, nisi Spiritus ille mendaciorũ magister subministrasset. Restabat, inquit libello (cui supplementi de Eucharistia titulum fecit) adhuc nõ minimus conatus, quo scilicet exempla proderemus, quæ nulla cum parabola coniuncta forent. Cœpimus omnia cogitare, attamen aliud nihil exemplorum occurrebat. Vera narro, adeoque vera, vt celare volentem conscientia cogat effundere, quod Dominus impertijt, nõ ignorans, quantis me contumelijs, risibusq; exponam. Cum tredecima Aprilis lux appeteret, visus sum mihi in somno multò cum tædio denuò contendere cum aduersario scriba. Ibi tanquam è machina visus est monitor adesse (ater fuerit, an albus, nihil memini;

Zuinglius suum ipse profitetur magistrum dęmonem fuisse in somno apparentem.

ſomnium enim narro) qui diceret. Quin ignaue reſpondes ei, quod in Exodo ſcribitur, eſt enim phaſe, hoc eſt, tranſitus Domini? Protinus vt hoc phaſma viſum eſt, ſimul expergeſio, & electo exilio.

Bucerus.

Bucerum quiſnam egerit Spiritus, vnus nobis (modò fidem hac in re mereatur) Lutherus fecerit. Cum in colloquio Vvittenbergen. anno circiter ni fallor, 37. Bucerus ſuum profeſſus de Euchariſtia Zuinglianiſmum, quem non ambigebat ſibi, vt iactabat diuinitùs reuelatum, corpus Domini verè non eſſe in Sacramento, ſeſeque certum cùm crepitaret, quod iſtud à Deo didicerat, Lutherus perſpicuis reſpondebat verbis, Quis dubitare poſſit (inquiens) reuelationem, quam iactat Bucerus, à Sathana eſſe ſuggeſtam? Cui iudicio non malè extremus vitæ Buceri reſpondet actus: quando in Anglia miſer agens animam, ſuo à magiſtro eò fuit impulſus blaſphemiæ, vt Ieſum Nazarenum negaret eſſe Chriſtum. Quo autem cataſtrophes genere infelicem orco tranſmiſerit animam,

In Actis colloquij Vvittenbergen. anno 37. teſte D. Claudio Sainctesio.

alij

alij narrent veriùs, qui tandem veritatis facti testes scripto exponant, quod à se visum alijs referre non dubitarunt. Multa enim nunc in gratiam suorum magistrorum occultant quidam, quæ paulatim sunt cum Catholicæ veritatis lucro & laude in lucem emersura. Vnum hoc tamen silentio non est nobis prætereundum quod mercatores quidam Coloniæ nõ ignobiles narrãt, se in Anglia à fide dignis cognouisse, Bucerum non dissimili manus Dei plaga interijsse, quo pridem Arrhius ille impius. Nam lecto deturbatus, effusis per cubiculum passim huc illuc visceribus, infœlicem non ore blasphemo, sed ventre incœstuoso efflans animam, horribilibus admodum cruciatibus suum ad mendaciorum magistrum diabolum, cui fidelẽ adeò & per Germaniam perturbandam, & per Angliam Caluinismo intoxicandam nauauit operam. Caluinus quoque suum prædicare genium non dubitauit, cùm insignem suam in Sacrosanctum CHRISTI IESV Sacramentum maledicentiam infernali cacodæmone

Bucerus Arrhij instar interijt effusis per cubiculum visceribus.

Caluinus.

mone dignam audebat epiſtola ad Bucerum data, non ſuæ naturæ tribuere, ſed ſuo aſſcribere genio, ſcilicet Socratico: à quo iſtud nouum perſuadebatur Euangelium. Si quis hæc fortaſſis in magiſtro ſectæ Caluiniſticæ infirmiora putabit, quàm vt perſuadeant, agè lector candide, diſcipulos Caluini conſulamus, qualem nam fuerint nacti magiſtrum, an non ſubinde diaboli colloquijs vti conſueuerint. Ioannes Knopeus Eccleſiæ Scotianæ fax & certa pernicies, poſtquã eſſet pœna Triremium ob cædem Reuerendiſſimi Domini Botoni Archiepiſcopi & Cardinalis Scotię ſuorum pecunia liberatus, ex Anglia ſecum nobilem & locupletem fœminam (qua ſimul inquit Archibaldus Hamiltonius Scotus lib. de confuſione Caluinianæ ſectæ fol. 65. & filia matris pellice familiariter vſus putabatur) Geneuam ſeſe proripit; vbi cũ in bonarum literarum ſtudio per ætatem ſe poſſe parum proficere intelligeret, ab immundis ſpiritibus; quorum illuſionibus Sabaudia, maximè vero Geneua obnoxia dicitur, pauca quæ ſuo
tempo-

tempore in Scotia vſu ventura eſſent omni ſagacitate explorat. Hæc autem ſub mortem (quando ei rictus oris in longum ad miram vſque deformitatem extractus, vt faciem canis referebat, ita eiuſdem latratui vocem ſimillimam reddebat) tandem ſuis euomuit chariſſ. diſcipulis, cum illa Geneuenſia myſteria palam recluſit: multa de Reginæ in Scotiam reditu, de iniuſta poteſtate contra eam eiectam vſurpata, & Religionis Catholicæ reſtitutione poſt ſuum è viuis exceſſum profabatur, donec infœlicem animam corpori miſero efflaret; quod egreſſi eius iuſſu diſcipuli prouoluti in terram extinctis luminibus regreſſi deprehenderũt. Et infra folio 67. Alios etiam (hi ſunt Kollochus miniſter in Laudonia, & Villochus nunc apud Anglos) qui licet eadem vitæ inſtituta ingreſſi ſunt, cõmuniaque, vt ille cum diabolo colloquia pro futuris rebus explorandis habuerunt: tamen ſub vitæ exitum facinorum admiſſorum clariorem confeſſionem ediderunt, non tantum priuatas cum diabolo pactiones & inita ſæpius

Caluiniſtarum familiaria cum diabolo colloquia.

pius

pius colloquia professi: sed quod illius (Iohan. Knopei Caluinistarum ministri) suasu & consilio primum ad illicitas artes, tum ad nefariam perpetrandam cædem instigati sunt, aperte professi.

Carolstadius Basiliensis.

Carolostadio similiter concionãti scribit Eras. Alberus libro contra Carolstadium Basiliensem concionatorẽ apparuisse dæmonem, viri solito longioris specie, domum eius posteà adijsse, de ipso nominatim filium domi repertum percunctatum fuisse, atq; iussisse, Patri diceret, se post triduum reuersurum, qui post illud triduum subitis exanimatus terroribus, dirisq; suæ malæ conscientiæ damnatus aculeis, ad nigra eius tartara fuit abreptus. Verum quid mirandum est, tragœdiam Sacramentariorum nostra ætate renouatam dæmone magistro: cùm ab eodem iampridem ante annos 600. in

Berengari⁹

Berengario istorum patre habuerit ab eodem diabolo exordium. Testatur enim Vvilhel. Bibliothecarius de gestis Anglorum lib. 3. cùm in extremis positum Episcopum Carnoten. Fulbertum multi visitarent, & ædium capacitas

vix confluentibus sufficeret, ille inter oppositas cateruas oculo longe cōspicatus Berengarium nisu, quo valuit, expellendum, protestatus, immanem dæmonem prope ipsum consistere; multosque ad eum sequendum blandiente manu, & illice anhelitu corrumpere.

Ista pijs Dei filijs abundè fortassis sufficiant, vt persuasum habeant, nouas istorum pseudoeuangelicorum doctrinas non alium, quàm diabolum habere magistrum; qui Euangelij prætextu abominanda suorum priscorum hęresiarcharum denuò innouare student Idola: Verùm quo cæteris etiam seruiat noster labor fratribus, qui callidissimæ illius artificis Sathanæ artibus miserabiliter circumuenti, aut à fide aberrant Euangelica, aut ab Ecclesia deuiarunt Catholica, operæprecium facturus mihi videor, si paucis illa perstringam rerum capita, vnde quod diximus, vero fiat similius. Plerisque fabulosa & anilium deliramentorum habentur similia, quę vulgo isthac ætate dicuntur de apparitionibus dæmonum

num corporali specie, ad fraudem simpliciorum non rarò apparentium. Quod & ego aliquamdiu pro nugis duxi; sed res indies clarius innotescens, aliud sentire cogit. Vnde profuerit hic quędam commemorare, quæ illas dæmonum apparitiones ad fraudem inconstantiarum fratrum, vt à Christo abducantur comparatas, demonstrent non esse fabulosas.

Caput. 12. Cùm Vvilhelmus Nassouius Aurangiæ Princeps Belgiam inuaderet, transitoque Mosa repulsus copijs Regijs Illustriss. D. Duce Albano militātibus, ne in Brabantiam penetraret, in Franciam suas miseras trahebat cohortes, fame languidas, inædia exhaustas, rerumque penuria omnium tantum non enecatas, vndique ad eum non pauci confluebant aut perfidiæ, aut sacrilegij, aut predæ causa. Anno 1571.

Contigit igitur quendam Rusticanę villæ in Merum vico Parochiæ Harten, iuxta Ruræmundam famulum in agro suas facere operas; qui dum quadam victus impatientia rei minimè ex voto succedentis in blasphemas erupit voces

ces

ces rusticis, plebique imperitæ, prô dolor, familiares, accessit eum eques nigro hinnienti, oraque spumanti vectus Caballo, qui post varia promissa in speciem aurea, & ostensa pecuniæ massa magna, illi pollicetur mercedem, modò sese cui colligendarum copiarum potestas facta esset, in Galliam sequatur Principi Auraico militaturus. Hæc quo maiorem fidem habeant, præstiterit pijs atque simplicioribus in Christo fratribus rudius simul & copiosius ex Actis publicis referre, quæ ita habent.

Anno à Natiuitate Domini millesimo, quingentesimo, septuagesimo tertio, vicesima septima mensis Decembris, comparuit personaliter coram Reuerendissimo in Christo Patre, ac Domino nostro, Domino Episcopo Ruræmundensi, prouidus vir Ioannes Vischers de Heythuysen in Lyn commorans, & in præsentia venerabilium Dominorum, D. Officialis Ruræmunden. & D. & Magistri Gerardi Merani Canonici Ruræmundensis, declarauit suum quondam filium Petrum nomi-

Lyn est pagus iuxta Ruræmundam.

Merum virus est pagi hæretici apud Ruræmun.

ne, tunc temporis habitantem apud Medardum meester Henrichs/ alias op den Berg/ in Merom ſub Parochia de Hartten, die Sabbati ante Dominicam, Eſto mihi, anni ſeptuageſimi, fuiſſe profectum vnà cum equis, & vehiculo, ad montem Sanctæ Odiliæ, myricam aduehendi cauſa, & in reditu dicti Petri, vehiculum fuiſſe fractum, quod cùm reficeret Petrus, ipſi apparuit quidam vir equo inſidens, atque dicens, Adoleſcens relinque tuum vehiculum, & veni mecum vnà cum Gœſis verſus Franciam, ego ſum præfectus duarum cohortum equitum, tu mihi bene ſeruies, ego ſatis pecuniarum, & bonorum habeo: cui Petrus reſpondit, quòd non, & ſe debere proficiſci domum, & animaduertens equum vnam tantùm habere aurem, ſignauit ſe ſigno crucis, ac ſtatim euanuit prædictus vir vnà cum equo. Et poſtquam idem Petrus vlterius fuiſſet profectus, iterum ipſi apparuit prætactus vir, dicens vt prius, cui Petrus reſpondit, debeo eſſe domi, quia veſperi debeo eſſe vnà cum alijs adoleſcentibus in quodam loco, vbi ſum

Ad ſignũ ſanctę crucis dæmon bis profligatus fugit

ſum vocatus, ſignando ſe iterum ſigno Crucis: exiſtente autem præfato Petro vnà cum alijs ſocijs in ædibus Henrici **aen gen Valderen**/in loco de Merom, audiuerunt quendam ſibilantem, & poſtea cum idem Petrus domum rediret, apparuit dictus vir, ſiue ſpiritus, iterum ſibilans, ad cuius ſibilum, Petrus etiam ſibilauit, & appropinquans Petro dixit ei, conſcende retro dorſum mei equi, cui Petrus reſpondit, ego bene ibo, & venientes ad domum, ſiue curiam ſuprafati Medardi, dixit Spiritus Petro, vt ipſe tubam ibidem exiſtentem, dictam vulgariter, **einen ruep hoeren**, inflaret, quod ipſe fecit, & ſpiritus ſimiliter, & accedentes duo alij adoleſcētes (qui Petrum prçceſſerant) rogauerunt Petrum, quare ipſe tubam inflaret, quibus Petrus reſpondit, ego debeo conuocare equites, quia incontinenti debemus diſcedere, & ſtatim truſit Spiritus Petrum in quendam lacum ibidem exiſtentem, ex quo ipſum prædicti adoleſcentes traxerunt, & in equili ſuper manipulum ſtramineum collocarunt, prope lectum ſupratacto-

 rum

rum duorum adoleſcentum, ex quo loco prædictus ſpiritus eum ſub equis trahendo per vnum paruulum admodum foramen in aëra abduxit, ac ſupra arborem pirum collocauit, & cum dicti duo adoleſcentes Petrum quærerent, rogauit eum ſpiritus, cui vis adhęrere, & reſpondit, volo adhærere Domino Deo, & huic arbori, & extunc deſeruit eum ſpiritus, multos arboris ramos frangendo: dixit præterea ſupramentionatus Ioannes Viſchers in fide boni viri, ſe præſcripta ex ore ſui filij Petri audiuiſſe, & quod idem Petrus ab eo tempore vſque in diem obitus ſui, non potuit ferre, quod aliquis iuraret, peieraret, aut malè loqueretur, Actũ vt ſupra.

Me præſente Egid. Tſunghen, Notario publico ad præmiſſa requiſito.

Hæc ita ſeſe habere non modò pater dicti Petri narrat, ſed variè etiam coloni, qui ex eiuſdem Petri narrantis ore audierunt, rerumq́ue tunc geſtarum pars non poſtrema fuere. Equidem his non contentus locum ipſum à viſitatione rediens inſpexi, arborem illam à ſtabu-

ſtabulo, vnde in eam fuerat euectus, meis dimenſus paſſibus circiter XXV. Colonum villæ, familiares ac vicinos de rei veritate ſciſcitabar: qui rem vt dictum eſt, ita ſeſe habere affirmabant, addentes ſeſe illa nocte, qua Petrum ſtabulo ereptum in arborem diabolus euexit, poſtquam nominatim euocaſſet, atque vt promiſſa præſtaret admonuiſſet, audiſſe cacodæmonem per plateas diſcurſitantem, tibias ruſticanas (quas ex ſalicum corticibus illic ſolent bubulci & opiliones conficere) nō obſcurè inflantem, immò & cantilenas ruſticanas non ſatis pudicas, ſed illic vulgares, nobiſque tunc recenſitas cātillantem. Adhæc cùm Petrum dęmon in arborem pirum euexiſſet, accurrentes ſocios acclamaſſe, **Peter haldt euch aen Jesum**/ Petre adhæreas Domino Ieſu: reſpondiſſe, Ego Ieſum teneo & arborem, ad quam vocem D. Ieſu dæmon eum de arbore dedit præcipitem, quam & nos meis cum familiaribus ramis ſatis craſſis paſſim confractis vidimus. De huius rei veritate igitur qui dubitat amplius, per me licet locum

 ipſum

ipſum adeat, arborem, ſtabulum, villam requirat: agnoſcet hiſtoriam hanc eſſe veriſſimam, qua dæmonum apparitiones corporali ſpecie ad fallaciam ſimpliciorum velatę, non abſurdè confirmentur.

Cap. 13. Porrò ne quid pijs ſuperſit dubij, an dæmones Dei permiſſu interdum humana ſpecie appareant ijs potiſſimũ, quos in ſuam accepêre diuina ſententia poteſtatem, quòd veritatem charitatis, teſte D. Paulo, non dilexerunt, receperunt aut retinuerũt, illud hîc profuerit commemoraſſe, quod in Actis publ. Reuerendiſſimi D. Ioan. Burſij Epiſcopi Laudunen. anno 66. cum cacodæmone habitis legitur. Vbi ita eſſe Cl. D. & Conſiliarius Regius doctiſſ. vir Barthol. Faijus, libro cui Euergumenicus & Alexicacus titulum fecit, oratione admodum elaborata, cothurnoque Gallico exculta deſcribit. Cùm ſacris exorciſmis de more Chriſtiano adhibitis (quos verè Apoſtolicos nunc cum illo impio Vlpiano iuris non Chriſtiani, ſed humani perito, ſacrilegè ridere quidam ſui obliti nominis non verentur)

rentur) & potiss. sacrosancta ostensa Eucharistia, post ieiunia & publicas comprecationes dæmonem cuiusdam matronæ Nicolæ visceribus Reuerendissimus Laudunen. Episcopus niteretur expellere, multa ille agebat & ludicra & terrifica. Astantium enim & nomina edebat, & consilia publicabat, non sine risu, vitiaque exprobrabat, nominatim illius Mangonis, indicato latente sui equi vitio; qui Laudunum à S. Quintini vrbe aduenerat, vt equum venderet: qui inito itinere strenuè incederet, sed eo aliquantulum emenso valde claudicaret; ea tamen erat moderatione, vt nulli auderet peccata obijcere, quæ per Euangelicam Confessionem sacerdoti factam aliquis eluisset. Nomina igitur & prænomina turbæ ad quatuor millia vndique confluentis cum edidisset plurima dæmon, addens cuius & sectæ ac sortis forent, quendam astantium dicebat, magna exclamans voce, trigesimum interfuisse concioni (Caluinisticæ) quæ paulò ante

 Crespij

Crespij Laudunensium (inquit D. Faius fol. 54.) fuerat habita.

Ille factum quod omnes astantes latebat minimè inficiatus, aliquem sibi, socijsque ignotum, sed viridi vestitu insignem illuc accessisse suppressa voce, vt à paucis exaudiretur, cum adiecisset, quippe vobis (exclamat dæmon) ipse illo cultu aderam. Hęc doctiss. Faius Pręses Regi⁹ libro & loco nuper indicato.

Certè dum hæc recogito, inducor facilius, vt credam, & illas historias à vero non esse alienas, quæ mihi à fide dignis pridem narratæ asserunt in Vvaterlandia fuisse concionatori Anabaptistico à quibusdam pijs visum astare, qui cornutum gereret hirtumque caput, quale pictores nostri dæmonibus solent tribuere.

Cap. 14. Quod dæmones tragœdiam Belgicam admodum sedulò promouerint

Illud extra controuersiam est, quando Theomachi Caluinistæ per Belgiũ Gœssæ dicti anno 66. furore plusquam Sathanico has per Prouincias Templa spoliabant, SS. Imagines confringebant, Dei altaria euertebant, sacra omnia ignibus concremabant, dæmoniacos & lunaticos passim fuisse ad quod-

dam

dam tempus liberatos, ac ſolito habuiſſe melius, ſimul & moderatius.

Quibus Belgium notum eſt, non ignorant, apud Gheelam Brabantiæ ad Sacroſanctas D. Dymnæ reliquias, dæmoniacos ſingulari Dei Optimi beneficio in hunc vſque diem liberari, maliſque ſpiritibus obſeſſoribus & tortoribus emancipari. Vnde illic ſemper magnus ſatis præſto eſt obſeſſorum numerus: qui diuinam in horas expectantes clementiam, per aliquot aut menſes, aut annos ibi decumbunt. His conſeruandis cuſtodes ſunt deſignati, qui ipſorum ſedulam curam die ac nocte gerunt, inſanientes comprimunt; efferocientes in ordinem redigunt; ringentes, frementes, mordentes, cõſputantes, verberantes compeſcunt. Harum omnium moleſtiarum Oceano ſeſe illi qui Gheelæ Brabantiæ, & quæ alibi obſeſſorum curam gerunt, illa Goeſſaici anni puta 66. æſtate liberatos fuiſſe gloriantur.

Qui hiſce fidem non habet, loca adeat, rem à vero non eſſe alienam deprehẽdet, digniſſimo ex actis publicis fuit

mihi Amſterdamo illuſtri Hollandiæ emporio tranſmiſſum:quod ita habet.

Diſſidiorũ pater dia-bolus mẽ-dacijs Ener gumeno orum rem-publ. flo-rentiſſ. Amſterdã conatur perturba-re, multas matro-nas accu ſans illorũ ore magię. Totum collegium orphanorũ infeſtant dæmones anno 66.

Anno 1566. pullulantibus Iconoclaſtarum initijs, quæ iam Antvuerpiæ, & alibi cœperant ſuos fructus in SS. Imagines per compita confringendas edere, dæmones reſiderunt Amſterdami Lx. amplius Orphanos 8.10.12.15.17. annorum pueros & puellas: & eos furibundos per ciuitatem multis diebus egerunt, accuſantes optimas quaſdam IV. aut V. & primas ciuitatis matronas eximiæ ſanctimonię, crimine maleficij quaſi ſagas. Plurimi ciues horum clamori furibundo crediderunt. Hi per plateas vagabundi gregatim diſcurſantes, nullis clauſuris contineri potuerunt, nulla vi cohiberi, niſi veniente Prætore Cl. V. D. Petro Petri Gneſio, & dante vni eorum minimum ſuum digitum in manum, & iubente ſequi, pacificè ſequebantur omnes, ſeſe mutuo brachijs complexantes & manibus trahentes & ducebantur, quò ille volebat. Vbi cum fuiſſent quieti vnum aut alterum diem, poſteà iterum furore correpti eruperunt vi, donec prætor

tor iterum veniret. Idque durauit paulò ante Paſcha vſque ad medium æſtatis. Hæc fuerunt præludia Gœſſiſmi: quo inualeſcente tum demum pueri ſani ſunt facti, dæmonibus videlicet egreſſis, & alibi in Gœſſis exagitandis ſatis ſuperque occupatis, quando tam inſano furore anno 66. per Auguſtum Caluiniſtæ paſſim templa Belgica diripuerunt, & SS. Imagines confregerunt, conculcarunt, exuſſerunt. Vnum mirabile addam; cùm multi ex plebeis inſtanter vt apprehenderentur & darent pœnas per Prætorem à ſagis delatis, ille autem negaret diabolo credendum, vna fuit omnium Catherina Ioannis honeſta & formoſa circitér 17. annorum adducta, quæ iam per dies duos aut tres, vt putabatur, ſana viſa fuerat. Illã prætor, cogẽte populo rogauit, quid nũc ſana diceret de ſagis accuſatis? Reſpõdit, Sagas eſſe; additis argumẽtis vnde ſciri poſſit illas verè eſſe ſagas, loca & limina indicans vbi pharmace. Tũ prætor, per Deũ, inquit, & per Regẽ, cui⁹ ſum miniſter indign⁹, iubeo, vt an tu dæmõ ades, & per eã loqueris,

id ostendas; è vestigio illa in terram prolapsa & coram tota ciuium corona inuerecūdissimè prouoluta exclamat, Ita, inquit, adsum, & in maximo pedis digito insideo, cachinnās & subsannando illudens, quòd hactenus omnes astantes mendacijs decepisset, ac innoxias matronas calumnijs vexasset. Hactenus qui rebus illis non modò testis interfuit oculatus, sed gestorum etiam pars magna fuit ipse Cl. V. D. prætor Petrus Gnesius: cuius ex ore fuêre nobis hæc concinnata Namurci. anno 78. die 4. Februarij.

Cap. 15. Caluinistæ solam sui magistri diaboli imaginem reuerenter habere ac saluam retinere, alijs omnibus abolitis: & quo nam modo passim honorarint.

Hæc eò dixerim, vt à fide alienum non habeatur, diabolos sese turbandis rebus immiscere, quod ex Cl. V. D. Faij Regij Consiliarij historia nuper demōstrauimus, apud Hugonotas accidisse, corporalique specie suis mancipijs vt Luthero, Campano, Zuinglio, Anabaptistis, Osiandro, alijsque subinde apparere. Quos cum demonstratum sit, fuisse & Lutheri, & Zuinglij, & Campani & Anabaptistarum magistros, quid mirum, si discipuli Caluinistæ potiss. nouatam per diabolos doctrinam sequen-

ſequentes, vera colant Idola, & ſub Dei titulo verè adorant diabolum? Quod ſanè paradoxum, ſupra fidem eſſe non videbitur, ſi quis conſideret, animoq́ue recogitet attento, quanta ſui magiſtri Sathanæ reuerentia effigiem colant. Narrant oculati teſtes, quando ciues Leydenſes anno 72. Monaſteriũ D. Franciſci extra Rheni portam in ſuburbano amœniſſimo ſitum excurrebant euerſuri, funditusq́ue abolituri, quendam vexilli loco imaginem diaboli prælongo fixum haſtili prætuliſſe, vt non obſcurum eſſet ſpectatoribus argumentum, cuinam magiſtro ſuam illam nauarent operam. Certè Caluiniſtas ſacrarum imaginum oſores, multò eſſe diaboli, quàm Chriſti imagini æquiores, locis non paucis reipſa comprobarunt; vbi confractis Chriſti & ſanctorum imaginibus, ſoli Sathanæ imagini pepercerunt, eam inuiolatam & intactam in templis ac cõpitis relinquentes. In Anglia dum Hiſpanus quidam templum illud auguſtiſſimum D. Pauli Londinen. ſpectaret, huc illuc oculos conuertens, nullam

lam vidit Imaginem. Introgressus penitius, vnicam reperit integram, quæ erat dæmonis, qui solet D. Michaëlis Archangeli pedibus, de more pijs nostris maiorib⁹ iam olim laudatissimo: in memoriam victoriæ de illo cœlis exturbato reportatæ substerni. Rei indignitate percitus, eductum gladium in diaboli infligens imaginem, apagésis & tu isthinc, inquit: tibi enim & cū cæteris est migrandum. Quod Angli Caluinistæ imagini diaboli reuerentiæ tribuebant: hoc & Antvuerpiæ in nobili suo illo SS. Imaginum bello non solum duorum latronum imaginib⁹, sed confractis impiè atque dissipatis Domini Christi & Angeli, qui dextro pio latroni solet sociari, statuis solam diaboli qui sinistro latroni animam impiam exhalanti apponitur pepercerunt, quemadmodum hisce oculis ipsi perdolenter vidimus. Quinetiam vulgus salse admodum in illos lusit, dictitans, religiosos istos viros manus suos magistro & fratribus meritò abstinuisse. Certè cùm ad meam anno 72. redijssem diœcesim, Gœssarum incursioni-

Caluinistæ diaboli & latronum imaginib⁹ Antvuerpiæ parcūt

ſionibus pertubatam, templi Ruræmundæ chorum perluſtrans, vidi in Altari ſummo, ſublatis vniuerſis atque tres per rogos exuſtis Sanctorum imaginibus, ſolam imagunculam, quæ diaboli follẽ geſtãtis ſpecie ſolet D. Genouefæ Virgini appingi: quam ego rapidè manu arripiens, & humi illidens, tu hinc, inquam, migra diabole, qui ſtare non potes, vnde venerandas Domini tui CHRISTI & ſanctorum eius imagines tuos per ſacrilegos ſatellites exturbaſti.

Ruræmundæ ſolã Sathanæ imaginem altari impoſitam Gœſſæ anno 72. reliquerunt ſaluam: quam Lindanus ſua manu humi illiſa contriuit.

Cæterùm ne quis hoc in commentariolo deſideret, quod ad rem præſentem attinet, omittere illud ſectariorum genus hîc non poſſumus, quòd hac ætate flagitiorum omnium fœcundiſſima illo dementiæ ac extremæ impietatis eſt deuolutum, fraudeque Sathanæ miſerandum in modum præcipitatum, vt ipſum cacodæmonem adorare ritu publico non vereantur. Ita enim ſedulò eum diuinis honoribus colunt, vt vbi nos Catholici more maiorum DEVM noſtrum viuum & verum de die

inuo-

inuocamus nouies:ita ipſi, teſte Reuerendiſſimo D. Hoſio diabolum inuocant per diem decies. Quod minus paradoxum pijs videbitur, ſi ad cæteros manifeſtos diaboli cultus, quos hæretici paſſim ſuo magiſtro exhibent, illud quoque cogitetur, miniſtros Caluiniſtas in feneſtra vitrea templi Delphici, quod vetus vocatur, vbi olim venerabile Sacramentum Sanctæ Euchariſtiæ inter angelos thurificantes erat pictum, abſtuliſſe; ſicuti & Melchiſedechi figuram ex dimidio, atque Sacramenti loco ſuum inter angelos thurificantes collocaſſe magiſtrum mendaciorum diabolum: quæ in hanc vſque horam illic omnibus exſtat ſpectanda. Quis igitur ſanæ mentis dubitare modò queat, quin Euangelici noſtræ ætatis omnium infœliciſſimæ, qui ſolis nominibus diſcreti, ſacrilegijs ſuis inueniuntur vniti, nouo ſuo Euangelio, hoc eſt verè dæmoniorum doctrina veram orbi pepererint idololatriam? quam reipſa committunt, quotquot deſerto Chriſti grege in Catholica Eccleſia ſub paſtore Gregorio XIII. congrega-

Inter angelos thurificantes diabolus in templo Delphico exſtat collocatus.

grega-

gregato, noua humani ingenij dogmata, ſiue dæmoniorum doctrinas ſibi ſequendas, colendas, &ex animo amplectendas perſuaſum habent: à quo errore phanatico, vereque pernicioſo miſeros iſtos ad vnum omnes Euangelicos, ſiue Lutheranos, ſiue Caluiniſtas, ſiue Campanos & Binabaptiſtas, liberet Deus propitius?

Sed iſtis maledictis, Sathaniciſque iſtorum Theomachorum Idolis valedicamus, atq; Diuum Ioannem vtinam Chriſtiani omnes audiamus monentem: Cuſtodite vos ab Idolis chariſſimi? Sic & idololatras tam apud falſi nominis Chriſtianos, quàm apud Paganos regnum Dei non poſſeſſuros diuino Pauli ore nobis proteſtatur Deus, quod anathema à ſuis ouiculis omnibus Ieſu Chriſti filij ſui vnigeniti ſanguine pretioſo redemptis auertat propitius: quod nos quidem gemitu aſſiduo apud clementiſſ. Patrem illis imprecari nunquam deſinimus, neque fauente Chriſto deſinemus, dum ſpiritus hos reget artus. Epilogus.

Hic nunc dicendi finem capiat ora-

Transitio ad Apologiam pro Ecclesia Christi Catholica, quod idola nulla colat: aut cultu sit contaminata Baalitico, nedum doctrinis dæmonum prophanata.

tio, ne sua fortè prolixitate fastidium pariat pio lectori: cuius tędio vt consulamus, opusculum hoc intersecabimus, vt ab his abominandis, aç verè execrandis sacrilegijs, infandisque in Deum blasphemijs, ad salutarem alacrior accedat Apologiam, qua contra istas Sathanicas muniatur calumnias: quibus Catholicam teterrimè infestare, ac fœdissimè de idololatria infamare plerosque omnes istius seculi Euangelicos non dispudiuit.

APOLO-

APOLOGIA

Ecclesiæ Christi IESV *Catholicæ, quòd Idola non colit, neque meretrix est illa Babylonica in Apocalyp. Dei Spiritu reuelata, nedum Baalitico cultu sacrilegè contaminata, & à Rom. Pontificibus sceleratè prophanata siue constuprata, quemadmodum Theomachi isti Euangelici dæmonum doctrinas prætextu Euangelij in orbem inuehentes, magno boatu illi exprobare, atque tragicis clamoribus debacchari non dubitant.*

CAP. I.

POSTQVAM modò conuicti sunt impij nostræ huius tēpestatis hæresiarchę, noua in orbem inuehere Idola, & ipsorum asseclas veros esse Idolorum, siue impiorum dogmatum à dæmonibus suggestorum cultores, esset nunc huic labori optatus imponendus finis, nisi gratum fore fratribus Catholicis agnoscerem, calumnias aduersariorū retundere, quibus nos clamitant idololatras esse, quôd imagines verbo Dei

Imagines non esse Idola Christianis.

Quæ idola pijs nunc Euangelici exprobrēt demonstrantur non esse idola sed Dei verbo consentanea.

vti aiunt, vetitas colimus: homines (vti loquuntur impij) mortuos inuocam⁹, Missam suo cum idololatrica suppellectile, cultuque Iudaico in precio habemus, cibos vetamus; nuptias prohibemus; denique Rom. Pontificem, vti blasphemant, Antichristum sequimur. Quibus calumnijs, quòd infirmiores ex plebe Christiana non mediocriter perturbantur, breuiter nunc erit respondendum, vt Catholicam Dei Ecclesiam isthac nefaria, vereque Sathanica liberemus calumniarum impudentissimarum cloaca.

Imagines Sanctorū non esse Idola, neque verbo Dei vetitas.

Quòd ad imagines Christi & sanctorum eius attinet, quas nobis Caluinistę pro idolis obijciunt, nos satis superq; sui purgant fratres Lutherani: qui & crucifixi Domini nostri Christi Iesu imaginem, aliasque, immo sui quinti Euangelistæ Lutheri, cui spiritum sanctum in vertice columbæ specie affingunt, suis in templis reuerēter habent. Quibus cum Euangelicis quia Caluinistæ Christianam, vti opinantur miseri, communionem colunt, verè cum idololatris communicant, si nos hac

de cauſa ſumus idololatræ, quod imagines Sanctorum Apoſtolorum reuerenter obtinemus, ab ipſis vſque Chriſtianæ Eccleſiæ cunabulis nobis traditas, vt in Panoplia eſt demonſtratum, & Apologetico noſtro pro Germaniæ concordia conſcripto ampliſſimè expoſitum. Iuſſit olim & Deus Moyſi æream ſerpentis, ſiue volantis preſteris effigiem in deſerto erigi, viuaſq; Cherubin imagunculas cornis, biſſiniſque Syparijs tabernaculi Aaronici depingi. Quas rerum effigies eiuſdem eſſe conditionis cum venerandis noſtris ſanctorum Martyrum, Apoſtolorum, & cumprimis D. N. Chriſti Ieſu imaginibus, nemo ſanus inficias iuerit. At quod clamitant, nos affectu idololatrico imagines colere, mera eſt Caluiniaca ſuo magiſtro Sathana mendaciorum patre digniſſima: cùm mens coram eis piè orantis, ſiue ad eas ſeſe religiosè proſternentis, non in ipſam referat, quod facit, imaginem; ſed in ipſum (vt iampridem D. Baſilius Iuliano apoſtatæ reſpondit) archetypon, quod per oculos menti repræſentat. Animus ergo

Caluiniſtæ cum Lutheranis ſi communionem colunt, ſunt & ipſi idololatræ. Vide Panopliam & Apologet. ad Germanos Lindani.

Serpens æreus & Cherubin propitiatorij noſtras piè tuētur imāgines ſanctorum.

Vide Acta Concilij General. Nicæni ſecundi.

go non ipſam ſolum imaginem, ſed illud præcipuè aſpicit, quod ſignificat; & quo animum ſua effigie vocat & religiosè ducit. An enim ſeſe ipſi fatebuntur iſthoc idololatriæ crimine teneri Caluiniſtæ, quando ſui Caluini circũferunt venerabundo geſtu imagines? An cùm ad eius etiam nomen, pijs execrandum, miniſtri nefarij iſtius infœlicis gregis ſeductores, pileum reuerentiæ cauſſa leuant? Equidem quò iſtorũ nouatorum mores magis, magiſq; ſubinde animi cauſa contemplor; ne deſit quod aduerſus impios iſtos Theomachos mentem hanc ad virtutes acuat, vt in fide Chriſti ipſa & perſtet cõſtantior, & iſtos infœlices magis miſeratæ Deum ardentius ſimul & frequentius prò ipſorum reſipiſcentia oret: hoc expreſſius ſeſe viris cordatis ardeliones, minuſq; prouidos deformatores probare mihi vidẽtur. Accuſant nos Babylonici nouæ iſtius ſacrilegę Samariæ in montibus Gebennæ à nefarijs Pneumatomachis Pauli Samoſateni diſcipulis, Vvilhel. Pharello, Vireto, & neſcio quibus alijs præclaris quidem illis infœ-

Caluiniſtæ nobis idolum volũnt eſſe in pectore, quod ipſi coluut in Marſupio, & auratis recludunt arculis.

infœlicissimi Caluini, Bezæ Væzani magistris ędificatæ cultores, quòd idololatræ sumus Catholici, quia Crucis Dominicæ figuram colimus; quòd effigiem Christi Domini circumferimus, quòd nomen Domini IESV honorificis exornamus picturis aut figuris, ad pietatem ac religiosam in primis reuerentiam spectatores exhortantibus.

Quod modò cùm Iesuitæ faciunt, immò ante istos plurimi ex plebe Christiana, culpam flagitiosam & teterrimã notam idololatrarum ab istis inustam sustinere coguntur. Cuius nefarij criminis culpam sanè pijs execrandam, si ab istis obiectam meritò hac de causa sustinemus Catholici, viderit Beza, quibusnam sophisticis strophis, quarum contexendarum artificio inter plurimos nostri seculi Gorgias non est ignobilis, suos miseros Geneuenses ab idololatriæ reatu excuset, quòd auream monetam hac cum inscriptione (Lux G. post tenebras, & altero in circulo, Geneua ciuitas) nomine Domini I E S V S in medio fulgentissimi Solis posito exornant.

Geneuen. suos coronatos nomine D. I E S V S insigniunt in medio fulgentissimi Solis: quod quid nam est aliud quam imago D. I E S V in Sole.

O lucem Geneuen. post tenebras? de qua Deus ore D. Esaiæ clamat, Væ qui tenebras ponunt lucem? & lucem tenebras? Si Domini Christi, aut Sanctorum imagines facere, siue ad reuerentiam domi, aut in templo habere idololatria est Bezæ, aut Caluino, cur non, obsecro & figuram nominis Domini IESV reuerenter in medio fulgidissimi Solis collocare, & corona splendidissimi syderis ad illustrandam eius gloriam condecorare? Si imagines Christi & Sanctorum effigies sculpere, aut pingere idololatria nobis est, cur non & ipsis accusatoribus, dirisque fratrum criminatoribus, tales figuras aut calamo scribere, aut arte monetaria cudere? Denique si crux Dominica, aut Christi effigies de collo suspensa, siue honorificè in pectore, siue pileo gestata nobis idololatriæ crimen parit, an non & ista tam reuerenter in Solis medio fulgentissimo iubare splendentis imago diuini nominis in bursa delicatuli Caluini posita, aut opulentissimis sacrilegi Bezæ thesauris recondita erit idololatria? Atqui excipiet versutus Beza,

Vocabula & imagines vna & eadem sunt res: quia idem repræsentant, & menti significant.

Beza, nos diuinum Domini Christi IESV nomen reuerenter habemus, ac religiosa effigie fulgidissimi Solis rotæ singularis honoris caussa imponimus; vos Idolum facitis, dum humanas figuras vestris colendas proponitis. Nos quidem & diuinum D. IESV nomen reuerenter colimus, & sacrosanctas eius siue imagines, siue effigies in pretio habemus: sed vtrumque vna & eadem nobis res est ad mentes rudiorum piè instruendas, & memoriam iuuandam, piaque recordatione de agendis Deo gratijs admonendam. Cùm enim vtrumque tam imago, quàm vocabulum, siue nomen Domini IESV nobis aliud non sit, quàm signum externum, ad rem aliquam in eo latitantem humanæ menti demonstrandam, siue externa specie significandam, & animo repræsentandam, eiusdem necessariò est venerationis, siue cultus, quod diuino Domini IESV signo menti humanæ siue per vocem auribus, siue per imaginem oculis exhibito præstatur. Nam idem significant & animo repræsentant imago visibilis, & verbum, siue

Imagines Christi sunt monumenta beneficiorum Dei: vt & verba scripturæ, atque ipsum diuinum Domini IESV nomen.

Non magis idola sunt imagines, quàm voces: cũ idem significent, vnaque res sint.

vocabulum auribus illatũ, vnde vtrũque idolum eſt, aut neutrum.

Si Caluiniſtæ non ſunt idololatræ, vocabulum IESVS reuerenter audiendo, aut nomen Domini IESVS ſculptum honorificè cudendo, & venerantèr colendo; multo minus Catholici ſumus idololatræ, imagines D. Chriſti ad eundẽ finem & faciendo & ſeruãdo.

Idem agit vocabulũ rei, quod imago eiuſdem.

Si enim rectè quod quæritur, candide lector, expendas, atque penitius inſpicias, idem vtroq; & vocabuli & imaginis ſigno agi perſpicuè agnoſces: nimirũ vt res vtroq; ſigno denotata, ſiue repræſentata, noſtro animo fiat nota. Proinde ſi illicitum adeoq; idololatricum eſt, imagines, ſiue Chriſti Domini effigies facere, aut habere, eiuſdem erit criminis & vocabulum, eandem rem animo repræſentans, ſiue ſignificans, honore pio afficere, ac in pretio aliquo habere.

Rerum ſigna ſunt & voces & imagines.

Quod ſi nomen Domini Ieſu igitur radijs ſolaribus exornatum ſculpere Caluiniſtis impunè licet aut cudere, aut deniq; calamo ſcribere ac penicillo depingere; quur nõ, precor, liceat viris

ris Christianis more suorum maiorum antiquissimo, puerum Iesum in medio splendidissimi Solis pingere, sculpere, aut describere? Quid enim aliud animo figura hæc significat? quid aliud obsecro repræsentat, cur idoli nomenclaturam hæc mereatur potius, quàm diuinum illud Domini Iesu nomē fulgidissimi Solis radijs illustratum?

Quod si ęquis rerum harum arbitris probatum fuerit, eandem esse in vtroque idololatriæ rationem, vt de vtroque tam imagine, quàm vocabulo, pari rationis momento aut asseratur, aut negetur, cur nam obsecro imaginem D. Virginis Mariæ, puerum IESVM filium dilectissimum gestantis, Sole cinctam, radijsque solaribus honorificè admodum amictam execrandam, pijsque abominandam insano clamore declamat Beza Væzanus?

Puer Iesus in medio Solis non magis est idolum, quàm nomen D. Iesu in Sole coronati Geneuen.

Iam enim, nisi fallimur, euicimus, tam esse licitum Christianis venerandam pueri IESV imaginem Solis radijs decoratā in tabellis depingere, aut de ligno sculpere: quàm Caluinistis Geneuen. diuinum eius nomen Solis

radio cinctum auro incidere, aut arte monetaria cudere?

Cui imagini si & D. Virginis matris effigies accesserit, an ex legitimo venerationis cultu fiat è vestigio idololatrica? an non & quædam reuerentia, sed infinitis parasangis inferior debetur venerandæ, sanctissimæ Dei genitricis effigiei, qualis diuini nominis IESV imagini? Certè cum vtramque rem sacram hæc imago animo humano religiosa pietate exhibeat, si pueri D. IESV imago fulgidissimi Solis radio amicta idolum non est, neque D. Virginis matris Mariæ imago radijs solaribus in filij gratiam cincta, siue amicta, idolum esse nequit. Sed hæc absurdiora sunt, quàm quę oratione fusiore apud prudentium lectorum aures sint exponenda; adsit modò æquus bonus rerum adeò similium æstimator, cur magis nobis, nobis, inquam, Catholicis idolum sit crux Christi de pectore suspensa, quàm eadem Francicis Bezæ sacrilegi Parisijs pro venditis tot opulentissimis Ecclesiæ beneficijs coronatis incusa, aut Ducatulis nomen Domini

Alia veneratio debetur puero D. Iesu, alia reuerentia B. Virgini matri solis iubare cohonestatis.

Crucis figura non magis est idolum in tabula pi-

ni

ni Iesu splendididissimo fulgentis Solis radio exornatum exhibentibus Geneuæ impressa? An aliud, obsecro, idolũ pictum, aliud cusum? aliud papyro inscriptum, aliud auro insculptum? Verissimum igitur illud est, quod PP. in Concil. 2. Niceno pijs suis Catholicis venerandarum imaginum cultoribus præscripserunt,

cta, quam cusa in coronatis Gallicis quos Beza tanto numero suis pro venditis beneficijs corrasit Parisijs anno 48.

Nam Deus est, quod Imago docet, sed nõ Deus ipsa:
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Quos versus qui candido excipere dignatur animo, nihil in pijs sanctorũ Martyrum, aut aliorum imaginibus reperiet, quod meritò pium offendat animum. Si qui circa eas irrepsêre alicubi abusus, aut superstitiosi custus, erunt vigilantia Pastorum ad diuinam Concilij Tridentini normam corrigẽdi & abolenda. Porrò hîc non fuerit infrugiferum, pijs lectoribus cõmemorare, quib⁹ miraculis Deus Opt. dignat⁹ est suis cultoribus hoc seculo declarare, quàm sibi gratus est pius venerandarum imaginum cultus. Anno illo Gœssaico 66. cùm per Belgium passim Iconoclastæ in venerandas sanctorum ima-

Vide Apolog. nostrũ ad Germanos tom. 2. cap. 11.

imagines desæuirent, Busciducis accidit, quosdam D. Antonij imaginem gladijs, ascia, & bipennibus in frusta concidere, vt incendio via publica abolerent, verùm quid accidit, non sanè impunè tulêre impij, euestigio namq; illa peste, quã D. Antonij iã olim appellamus Christiani (quòd illi depellendæ sint eius, apud Deum pij experti sæpe patronum) corripiuntur totoq; vtriusque corpore instar granorũ piperis, pestilens ille ignis ebullit: domũ sese recipiunt infœlices, quorũ plaga socij deterriti, rogũ deserunt trepidi. Tã atroci atq; voraci consumebantur miseri totum per corpus incendio, vt postridie impiã efflarint animam, & funesta reliquerint cadauera variorũ colorũ stigmatib⁹, ceruleis, prasinis atris insignita. Istud tã est tota vicinia notũ, vt plurimos huius rei non solum audierim⁹ concorditer historiam ad viuũ depingentes, additis etiã tã sacrilegorũ, quã familiariũ nominibus: sed publici etiã viderimus Notarij fide nõ indigni neq; obscuri testimoniũ. Sed horribilius est, quod anno 76. in Gallijs vsu venisse

Anno 66. Busciducis

scribunt,

ſcribunt, cuius talem hiſtoriam Pariſijs impreſſam vidimus, quę hîc ruditer eſt transfuſa.

Anno Domini 1576. 21. Iunij dū Dux Alenſonius frater Regis Franciæ eſſet in vrbe Caſtillon, & excubiæ pedeſtriū copiarum in villa, quæ dicitur Soulci, à dicta Ciuitate vno plus minus miliari diſtāte, agerētur, tres milites malè feriati deprehēderūt prę foribus tēpli imaginē B. Antonij in petra erectā, ac poſt multa ſcādala, ludibria & dicteria in eā cōgeſta, caput quidem imaginis galea, manus verò armarūt hallebardia, talia cū execrādis blaſphemijs euomētes, tu, ſi quid vales, ſi qua tibi poteſtas, in præſentiarū nunc eā demonſtra cōtra nos, ac te defende. Quo dicto ſuis armis imaginē impetunt multis ictibus. Quibus nō contenti, vnus eorū bis, aut ter diſploſa bombarda, imaginem illā oppugnare aggreditur, ac eius faciē inter mentū & inferius labrū iaculatus globulo tormētario lacerat ſacrilegus. At nō impunè. Nā eodēmomēto ille impi⁹ magno eiulatu exclamās, horridumque eiulans, totus, inquit, ardeo, totus combu-

Anno 76. in Gallijs.

comburor, ſtatimque prolabitur mortuus in terram. In cuius facie eodem loco, vbi imaginem globo violarat, vice reddita ignis ſcelerum vindex, qui totum inde os replebat, velut via facta erumpens perluxit eum deuorans, etiam cùm iam miſeram exhalaſſet animam. Secundus autem non minus ſentiens Dei omnipotentis manum, exclamat quoque, ignis vim ſe ferre nõ poſſe, volenſque inteſtina tormenta per aquam effugere, in torrentem proximum præceps inſilijt; nec Dei tamẽ præſentiam effugit. nam ſtatim aquis ſubmerſus & ſuffocatus interijt.

Porrò tertius cernens ſuorum miſerabilem exitum ſui, impos ac totus exanimis humi affligitur, ac deportatus in proximam domum, totus feruentiſſimis febribus æſtuabat, adeoque violentis, vt miſerum de ſe ſpectaculum omnibus exhiberet. Cuius miſeria permoti cognati, amici maximè & commilitones Catholici, ad templum velut ad aſylum confugêre, Deo Patri (ſacerdote perquiſito) ſacrificium mediatoris ſolemni cantu coram imagine B.

Anto-

Antonij immolare, ac vnanimiter cateruatim proruentes tam milites, quã dicti loci incolæ, Deum ſumma animi deuotione pro miſeri fratris ſalute cõprecari, poſtq́ue ſacrificium, & multas preces afflictum inuiſere, præmiſſiſque multis alijs orationibus aquam ei benedictam ſacerdos aſpergebat. Eueſtigio ille miſer, ſibi redditus crimen agnoſcit, Dei miſericordiam inclamat, ac manus tendens in cœlum humilibus ac magnis precibus ſuum errorem profeſſus accuſans, omnium deprecationes ſupplex ambit, vt pro ipſo Deum clementiſſ. interpellent. Nec defuit diuina miſericordia: nam ſtatim priſtinæ valetudini ac menti reſtituitur, eaq́ue etiamnum hodie fruitur. Hæc veraciter ſub oculis pluſquam trium milium hominum palam geſta docent, quam reuerentiam venerandis Sanctorum imaginibus debeamus. nam etſi numen in illis nullum ſit: tamen eorũ nobis refricans ſubinde memoriam, quos repræſentant, ac ad glorioſa Dei in ſuis Sanctis opera collaudanda, eorumq; pia patrocinia imploranda, ple-

rosque Christianorum exstimulant. Quin & contumelia illata ipsis in Dei seruos, immò in communem Dominum redundat. Qui hic aliquando etsi silere videatur, non tamen silebit semper. Hactenus ex libello illo anno 76. Parisijs impresso apud Vvilhel. Merlin. Neque desunt nostratia signa, quibus ingratam DEVS sibi venerandarum imaginum euersionem fuit hoc seculo contestatus. Cum Hermannus Modét seditiosorum fax apud Hasselen. Hasbaniæ Leodien. nocte quadam bis ter in templum venisset, vt SS. imagines confringeret, fuit lucernarum lumen bis ter exstinctum: deniq; cùm rogum immanem excitasset, vt iniectas in eum SS. imagines exureret, fuit ille rogus iniectis venerandis SS. imaginibus haud aliter subitò extinctus, quã si copiosissimo fuisset imbre perfusus. Ita quidem Deus Opt. sacras imagines & tutatus est, & alicubi vltus: quemadmodum fide dignissimi viri nobis narrare, etiam seueriter sub Dei iudicio admoniti non dubitarunt: quorum plura exempla suis temporibus

Anno 66. Hasselt Leodien.

bus

bus Ecclesiastica dabit historia. Sed nunc ad cætera, si Christo placet, Christianorum Idola contemplanda est transeundum.

CAP. II. Sanctorũ inuocatio non est idololatrica.

In calumniam ab istis iterato diaboli gloriæ Sanctorum inuidi studio rapitur, quòd Sanctos Dei Apostolos & Martyres ad auxilium, siue ad comprecationem vocamus, vt nostris precibus accedant comprecatores. Mira est, planeque pijs omnibus deploranda, & lachrymis deflenda istorum miserorum cæcitas (vt nunc illam dissimulemus blasphemiam, quòd amicos immò filios Dei cum CHRISTO viuentes & regnantes ore sacrilego audent cum Iuliano apostata impio appellare homines mortuos, cum DEVS noster sit non mortuorum, sed viuorum DEVS. Ioan. 3.) quod pium admodum Ecclesiæ Catholicæ opus, vnde ipsi & adiuuentur salutariter, & si volent sanentur adeo, in Sathanicam vertunt calumniam. Cum enim hæc Sanctorum inuocatio exemplis orta sit Apostolicis, & perspicuis verbi DEI senti-

Vide Apologet. nostrum & Stromata. Vnde cognoscant sancti vota nostra.

tentijs nitatur, liquidissimisque Orthodoxorum, & eorum antiquissimorum testimonijs fulciatur (quæ si fortè quis desideret, nostra ex Panoplia, eiusque Apologetico & Stromatibus petat licebit) impia censeri nequit ab ijs, qui saluum sibi nomen volunt Christianum. Nam Sanctos Dei amicos agnum Christum sequi docet diuina scriptura, quos ex illustrante illius pia reuelatione (quæ lucernæ typo in Apocalyp. notatur) nihil ignorare concorditer tradunt sancti scriptores, quod scire ipsorum, aut nostra interesse queat: quemadmodum ex facto D. Moysis Christus Dominus Ioan. 5. demonstrat, Est qui vos accusat apud Patrem meum Moyses. Iudæis incredulis Christus Dominus exprobrat, quòd D. Moyses facere non potest, nisi nota ipsi esset suorum contribulium perfidia, & obstinata in Christum Dei filium tot miraculis planè diuinis illustrẽ infidelitatis voluntas; nolens eum pro Messia vero agnoscere; quem iuxta Prophetarum oracula misit cœlestis pater. Quod si ante redapertum cœlũ norat

Sanctus agnus Dei lucerna est: quem illi sequuntur. Apoca. 12.

Ab exemplo D. Moysis qui Iudæorum negotium apud Deũ agit. Ioan. 5.

A minori:

norat Moyses, quanto nunc illustrius dolendum suæ Iudaicæ gentis statum habet perspectum? Non enim quenquam viuere, opinor, adeo impium, qui non maiorem Sanctorum sentiat esse gloriam cum Christo in cœlis viuentium, quàm ante mortem eius in tristi illo Patrum limbo agentium: vbi reuelandam indies expectabant Dei gloriam: quæ ipsos per Christi sanguinem noui Testamenti è carcere, in quo non erat aqua, iuxta Prophetæ oraculum educeret, atque in cœlestem patriam tandem beatos perduceret. Zach. 9.

Proinde maligni fuerit, immò inuidi planè ingenij, plus tribuere D. Moysi in limbo adhuc agenti, quàm Sanctis Apostolis, & Christi martyribus, qui iuxta Christi promissum nunc cum ipso apud patrem in cœlis viuunt beati. Hi suam plenam expectantes fœlicitatem, quæ citra corpus in terris reliquũ perfecta esse nequit, (cùm diuinum accipiant responsum vt sustineant, donec impleatur numerus fratrum suorum. Apoc cap. 12.) proculdubio, quia ex salute fratrum saluandorum sua propedi-

em perficietur ſalus, optataque ſuis abſoluetur numeris fœlicitas, hoc ardentius pro eis orant, quò ampliorem ſibi ex beato illorum cōſortio, ſicuti & ex ſecunda beatitudinis celeſtis ſtola expectant beatitudinem.

Iam cùm piorum fratrum vota non ſolum ex priſtinæ miſeriæ dudum depoſitæ ſtatu, ſed ex diuina etiam reuelatione ſibi habeant nota & perſpecta (quod D. Auguſtinus de cura pro mortuis cap. 14. exponit fuſius & luculentius) inuidi fuerit hominis tantum ſibi inuidere, atq; malignè amoliri patrociniū; quod totū vbiq;, & ab ipſis Eccleſię Apoſtolicæ vſq; cunabilis vſitatum videt frequentare, pijſq; Litanijs ambire populum Chriſtianum.

στοργὴ & affectus paternus Apoſtolorum in ſuos diſcipulos Rom. & alios nō illis perit. D. Cyprianus rogat D. Corne-

Huc facit quòd naturalis illa στοργὴ, affectuſq; paternus, quem erga ſuos in Chriſto & fratres, & filios, & diſcipulos ſancti Apoſtoli & DD. Martyres gerunt, ipſis cum Chriſto regnantibus non perit; non pijs fibris eripitur; nedum cordibus mira in homines beneuolentia flagrantibꝰ emoritur: ſed eos ad comprecandum, & pro nobis ſupplican-

plicandum extimulat. Vnde & D.Cornelio D.Cyprianus aurea illa simul & postrema ad ipsum epistola mutuam sui apud Dominum post decursum instantis agonis stadium memoriam cõmendans, Memores nostri inuicem simus (inquit) concordes atque vnanimes, vtrobique pro nobis semper oremus, pressuras, & angustias mutua charitate releuemus: & si quis isthinc nostrum prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Dominũ nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris, apud misericordiam Patris non cesset oratio. Eundem affectum pietatis & cęteris manere Sanctis lib. de mortalit. docet clariss. Frequens nos illic turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra incolumitate solicita. Sic & D. August. de suo sensit Nebridio ex hac statione ad cœlestis brauij coronam euocato. Non sic beatæ illius immortalitatis fonte inebriatur Nebridius (inquit) vt nostri obliuiscatur. Plura testimonia qui desiderat, nostram consulat Panopliam & Apologeticum.

lium vt post mortem meminerit sui apud Christum.

August. lib Confess.

Sanctis tribuit memoriam & pium affectum in superstites.

Quem pium in ſuos fratres & collegas affectum cùm tanti viri, & inter Orthodoxos Patres, etiam aduerſariorum præiudicio, principem facilè locum obtinentes cum in Sanctis Dei hominibus cum Christo regnantibus agnoſcant, & ipſos pro ſe hoc in exilio agentibus eſſe ſolicitos, immò pro ſe Domino Christo ſupplicantes, ſibi nō poſſunt non perſuadere, Sanctis piorũ votorum & iſtarum ad comprecationem orationum eſſe conſcios: quod ipſos pro ſe facere ambigere non poſſunt. Proinde ex hac indubitata Eccleſiæ Catholicæ doctrina verbo Dei nixa, & Orthodoxorum Patrum teſtimonijs conſtabilita, nimirum Sanctos non modò pro nobis, noſtraque ſalute eſſe ſolicitos: ſed orare quoque, adeoq́; piorum noſtrorum votorum eſſe conſcios, orta, immò continuata eſt Sanctorum cum Christo regnantium inuocatio. Nam eius originem ſi quis ſedulò perueſtiget, agnoſcet ex pijs veterum Patriarcharum & Prophetarum exemplis in Christianam promanaſſe Eccleſiam: quod & D. Chryſoſtomus

Ex certò perſuaſa ſanctorum erga nos ſolicitudine ortus eſt ſanctos inuocandi apud pios Dei cultores ritus.

ex Danielis Oratione cap. 11. haud futiliter colligit. Quod eo certius pijs habendum est, quòd Iudæi in hunc vsque diem nobis concorditer nostros inuocant Patriarchas, Abraham, Isaac & Iacob: quemadmodum ætate Apostolorum, illum epulonem fecisse Christus testatur, qua de re Antonius Margarita ex Iudæo semichristianus apud Lipsen. factus, lib. de Iudæorum ceremonijs fusius; suos imprudens refutans magistros Lutheranos, Iudæis magis impios. Ad hæc non leuiter hanc piam corroborat doctrinam argumentum illud, quod ex Diui Pauli moribus ducitur: qui non raro suos fratres precatur, vt pro se orent; sicuti Epistolæ ad Romanos, ad Hebræos, ad Philippen. aliæque liquidò contestantur.

Christus docet Iudæos olim suos inuocasse Sanctos.

Quod si D. Paulus à fratribus postulauerit, cur non, obsecro, & nos hodie ab eodem pari iure postulemus, vt nostras adiuuans preces vnà nobiscum precetur vt saluemur? An non mutuã fratribus pro se olim afflicto & calamitoso Deum rogantibus reddiderit vicem? At quænam isthæc fuerit inuida

A D. Pauli exemplo.

eius ingratitudo? An noſtri nō moueatur modò cōmiſeratione? Atqui illam cōdolentiā, ſiue mutuā mēbrorū corporis Chriſti, etiā poſt miſellā iſtā vitā, permanere ſympathiam, dudū fuit demōſtratū. An noſtros ignorat forte labores & calamitates; atqui hāc rerū noſtrarū cognitionē vel D. Moyſen etiam ante redapertū cœlū in limbo habuiſſe docet Chriſtus. Ioan. 5. Ex his verbi Dei oraculis, tā planis, tā perſpicuis, ſimilibusq; orthodoxorū Patrū liquidiſſimis ſententijs & Bucerus, & Oecolāpadius, ipſeq́; adeo Lutherus firmiter pſuaſum ſibi ſcriptis ſuis teſtātur, inuocationē Sanctorū piā eſſe, neq; Dei verbo aduerſari, tantū abeſt, vt ſupſtitioſā, nedū idololatricā dixerint (quod Lutherus diſertè admonet epiſtola ad ſuum palatinū) quādo ad auxiliū religioſa, inquit, oratione inuocantur, quēadmodū manifeſtiſſimis ipſorū verbis demonſtrauim⁹ Apologet. noſtri ad Germanos pro Eccleſiarū concordia lib. 1.

A minori.

A præiudicio magiſtrorum iſtius noui Euangelij.

Vide iſtorū teſtimonia in Apologet. noſtro

Cæterū hāc piā Sanctorū inuocationē noſtris à maiorib⁹ tot per ſecula toto orbe concorditer iuxta Dei verbum tradi-

Miraculis non deſinit Deus confirma-

traditā, vt Deus Christianis cōfirmaret ppetuā, nō desijt quibusdā signis alicubi vel hoc seculo declarare, sibi esse lōgè gratissimam. Sicuti enim diuinā in animas baptizatorum vim S. Baptismi corporalibus quotidie nō desinit pijs declarare miraculis, quādo pueri Caluinistarū, aut Anabaptistarū, omniūq; Baptismo Christi nō legitimè vtentiū emortui nō more nostrorū rigēt, nō leue illi⁹ ad immortalitatē beatę resurrectionis ex Christi Baptismo exspectatæ argumentū præseferentes, sed marcidi emollescūt, & instar lintei flaccescunt. Ita quantū matrib⁹ puerperio laborantib⁹ pia prosit illa hacten⁹ parturiētib⁹ vsitata B. virginis matris ad faciliorē simul & fœliciorē partū, vno profuerit demonstrasse huius ætatis exemplo.

re piam Sanctorū inuoccationem sibi gratissimā. Baptismi admiranda miracula in corpora puerorum baptizatorū. Puerperas recte D. Virginem matrem inuocare testantur miracula huius ætatis.

Quādo ad solatiū puerperarū pię cōueniūt matronæ Christianæ, solent de more laudatissimo coram imagine D. virginis inuiolatæ matris Mariæ Christū gestantis honoris simul & inuocationis gratia cādelā in fidei suę, lucisq; animorū symbolū accēdere, vt suis precibus Deū puerperæ faciant propitiū,

ne aut abortiant, aut infœliciter pariant. Contigit annis superiorib⁹, quandam mihi notissimam (quæ & matris suæ nomine iam pridem non audiebat benè in caussa Religionis) puerperio laborare, conuocantur cognatæ, affines, & vicinæ, vt de more Hollandico fieri solet. Vrgentibus puerperij doloribus. candela imagini B. Mariæ vt solet, à quadam cognatarum accenditur. Puerpera sui veneni, quo à teneris infecta laborabat, non oblita, in illam cœpit excandescere, quæ candelam D. Mariæ accenderat, exclamans subinde tollendam esse; neque se ferre posse honorem illum imagini fieri, qui Deo debebatur. Vbi exclamare misera non desinit, irruunt dolores sensim acerbiores, puerumque tandem enixa est ita miserum, vt frustulatim in lucem fuerit editus (quemadmodum mihi oculata testis narrauit) incredibilib⁹ impiæ matris cruciatibus & intollerādis tormentis. Neque sanè à fide alienum videri homini Christiano debet, B. Mariam sine dolore puerperam, sine mœrore matrem, sine corruptione virginem

nem, religiosè ad auxilium de more inuocatam, puerperis ſingulari ſolatio ſuccurrere. Audire namque olim memini à quodam viro eximio ac fide digniſſimo hiſtoriā, huic loco ſi referatur non alienam: quam nec pijs ingratam futuram confido.

Contigit ad portas Amſterdamenſes ante annos ferè 18. veniſſe aliquot fœminas illorum erronum & argytarum, quos Germani **Zigheiners** / nos vulgò Aegyptios vocam⁹, cùm in domos illa nocte in ſuburbano non reciperentur propter rapacitatem, in vicinum portis horreum, quod illic **den Coorenbergh**/ à frugibus ſub dio in aceruos ſublimes collocatis] dicunt, ſecedunt pernoctaturæ.

Fœminę ſemi paganæ D. Virginem puerperij tēpore ex reliquijs Chriſtianiſmi ſolēt inuocare non ſine fructu puerperarum

Quædam illarum puerperij doloribus cum premeretur, prodijt ex antro ſocia quæ arreptis ſcopis circum, horreum illud curſitat, & humum verrens cantillabat, **Her in Maria? Her in Maria**/quaſi B. Mariam ad auxilium laboranti puerperæ inuocans: vbi verò illa enixa eſſet, mox, quam dixi, ſocia iterum de horreo prodijt, iterū arreptis

ſcopis

ſcopis circumcurſitat cantillans, Her auß Maria/ Her auß Maria/ quaſi eius opem non amplius deſiderans, cuius beneficio in lucē fœliciter nunc prodijſſet partus.

Quod nunc ſecundo loco recitabitur, longe eſt horribilius, ſed ita vindex Dei ira efflagitauit. Motibus illis anno Gœſſeorū 66. vixdum exortis, muliercula quædā oppido Hollandiæ Aſpera parturire cœpit, cōuenere vicinæ atq; cognatæ, vbi illa eniteretur difficilius, & grauiſſimè nō minus quā periculoſiſſimè laboraret, vna circūſtantiū pio ex more puerperā admonet, vt D. Virginem inuocaret auxiliatricē. Cui illa, quid mihi iſtam, inquit, dicis ſcrofam? erat namq; infœlix Anabaptiſtarū delirijs capta, qui ſupra oēs ferè diuos vnā illā Sanctorū Sanctā Deiparā virginem Mariam execrantur, oderuntq; infenſius. Verùm quidnam acciderit, accipe. Pro maledicti blaſphemia, fuit & Dei plaga: qua nefariam ſuæ matris vindicauit contumeliam. Actutum enim illa miſera, quæ ſacroſanctam virginem Dei genitricem Mariam impuræ ſuis

Anno 66. in oppido Aſpera iuxta Gorconium.

Suculas parit fœmina Hollandica, quæ B. virginem in puerperio ſuem & ſcroſam blaſphemauit.

nomine

nomine blasphemarat, nigellas aliquot in lucem edidit, sed emortuas suculas, nunc domestica quædam, nobisque notissima hanc in rem confirmandā profuerit depromere exēpla.

Cùm me puerum (ne domestica Dei Opt. nostram in familiā collata ingrato prætereamus silentio) grauis gingiuarū corripuisset dolor, pia mater mea (cui cū parentibus omnib⁹ Deū precor quotidie propitiū) meis cruciatibus afflicta mei liberandi à malis caussa D. Apolloniæ votū fecit, diemq; ieiunio sese coliturā ꝓmisit. ego me illius precibus liberatū doloribus memini: atq; occurrente D. Apollonia festo, me matrē scio admonuisse, ob acceptū per intercessionē Diuę beneficiū, Deo esse ieiunādū, votūq; soluēdū. Illa abblādiēs puerili voto, ieiuniū, fili, inquit illa, in aliū differem⁹ diē, quia sunt carniualia siue, vti vulgus appellat, carnis priuiū. Certè cùm me⁹ frater German⁹ Hadrian⁹ Lindan⁹ Prætor Hagen. in cunis laboraret ex pede sinistro, ac mater vereretur, ne qđ incōmodi, aut aliqđ claudicationis contraheret, illa mox à chi-

Vota piorū ad Sanctorum suffragia imperrandam nunc, vti & olim, efficacia, quod domesticis declaratur miraculis in familia Lindanorum.

rurgo

turgo periculi admonita, votum Deo obtulit, rogans vt interceſſione Diui Machuti, qui in Eccleſia Traiecten. ad Rhenum ſolet talibus in periculis ad auxilium &. comprecationem implorari, puer malo liberaretur, iuit, vota obtulit, rediјt, filium reuerſa domum ſanatum repperit, ac nos lętiſſimo fuiſſe perfuſos eius redeuntis gaudio commemini.

Vnum illud ingratæ obliuioni tradere mihi foret religio, quod ex religioſa meorum parentum pietate mihi puero ex ſingulari B. Huberti patrocinio & certo præſidio accidiſſe vicini noſtri meminerunt non pauci. Rabidum agitabant canem ciues Dordraceni, qui per compita obuios ſuo venenato morſu momorderat. Ille perſequutorum plagas, lapides & clauas fugiens ædes paternas tranſcurrebat. Quotquot illum accurſitantem, turbamque inſequentem videbant aufugerunt. Ego platea publica meis cum æqualibus ludens periculi ignarus perſtiti, pueriliter admirãs tantam hominum turbam accurrere armatam, acclamant,

D. Huberti præſidium aduerſus rabidem canem puello Vvilfeldt Lindano fuit ſaluti.

clamant diſcedam de via. Verùm priuſquam ego me ſubtrahere potui, ille ore rabido frendens, capite in terram pendulo, flammantibus inſtar lampadum oculis, exerta lingua ſpumans, caput agitãs, iuxta me innoxius tranſijt, tota ſpectantium corona obſtupeſcente, quòd me obuium, & tam vicinum intactum prętercurreret: cùm alijs aliquot occurrentibus ſuum virus venenato morſu infudiſſet.

Domum reuerſus audiui parentes Deo gratias immortales agẽtes, quòd me D. Huberti tutela & precibus malo tam pręſenti eripuiſſet. Nam ob ſimilia pericula euitanda, quæ tunc temporis non erant infrequentia, licet nunc Deus ſimilia euenire certo ſuo conſilio non patitur, curarat pia mater nos, totamq́ue noſtram familiam fraternitati B. Huberti inſcribendos. Vnde quotannis cùm ſacræ ac venerandæ illius reliquiæ illuc de more adferebantur, ſolet oblationem facere, atque imaginem eius depictam contactu S. reliquiarum ſanctificatam honeſto loco per ædes colere: quæ res improbis

quorundam, rebus ſacris ſuum ad quęſtum irreligioſè abutentium morib⁹, vti & D. Antonij, D. Cornelij, D. Hermetis, D. Quirini, & aliorum Sanctorum nunc abijt in diſſuetudinem, cuius tamen vt origo ſanctiſſimum habet inſtitutum: ita & effectus varijs exemplis poſſet demonſtrari, plurimis fuiſſe ſaluberrimus.

Huius autem generis ſimilia in alium aptius reponantur locum, quando de miraculis noſtri ſeculi, dabitur ſcribendi ocium, ſi Deus voluerit: quorum exempla nec pauca, nec leuia iamdudum varijs ex Prouncijs habemus collecta.

Sed iam ad ſacrificium Chriſtianum accedamus, an meritò Baalitici cultus (vti blaſphemare iſtos non pudet) idolum dicatur?

CAP. III. Sacrificium Chriſtianum Miſſa dictum nihil habet cultus idololatrici.

Qui ſacrificium Chriſtianum Latinis Miſſa, à dimiſſa Dei plebe ac data miſſione, abeundique facultate dictum inter Idola temere accenſere audent, equidem apud animum meum non infrequenter mirari ſoleo, an ſani, nedum Chriſtiani homines nomen

tueri queat. Certè vt manifesta furoris labe non caret, mysteria tam concordi consensu toti vbique & semper à Christianorum memoria populo Christiano tradita respuere, reijcere, & conculcare: ita imperitiæ summæ est, arrogantiæq; cyclopicæ, audere tot liquidis sanctissimorum omnium Orthodoxorum Patrum testimonijs rabiosa cũ peruicacia refragari. In hac rabidissima omnium Sathanæ Christianum sacrificium hostiliter admodum oppugnãtis acie, Caluinistæ principem locum facilè tenent: quibus succenturiaturi accedunt fraterculi Anabaptistæ, abominando illo Sathanico Collegio dignissima soboles, & idonea mirificè ad cumulandam Antichristianam impietatem societas. Neque mirum videbitur, Caluinistas illo insaniæ prorsus Antichristianæ prolapsos, qui priorem ipsorum furorem, quo corpus DOMINI mysterijs Christianis negant præsens, cogitarit. Certè si in ceremonijs Christianorum (vti hoc tremendum vel angelis

Caluinistarum cum Anabaptistis syncretismus in articulo Eucharistiæ, & sacrificij & necessarij pueris Baptismi.

Missa verè idolum fuerit, si corpus Domini Christi non habet præsens.

ſacrificium appellat D. Hieronymus Comment.in cap.2.Malachiæ) corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti verè, atque vt nunc loqui cogũt aduerſarij, ſophiſticis ſuis inſidijs ſimplici noſtræ fidei fraudem molientes, realiter non eſt præſens, rectè idolum noſtra Catholicorum dicatur Miſſa. Atqui hoc negare, vno verbo eſt non modò Patres noſtræ Orthodoxæ Religionis ad vnum omnes falſæ adeoque ter ſacrilegę perfidiæ inſimulare: ſed ipſum etiam Chriſtum Dominum mendacem velle facere; qui diſertis aſſerens verbis ſuis Apoſtolis, & nobis ſeſe ſuum corpus, quod erat crucifigẽdum, dare ad manducandum, & ſanguinem, qui effundendus erat, ad bibendum, ſuum non dat corpus: ſed iuxta iſtos noui & à Chriſtianorum memoria inauditi Euãgelij magiſtros autodidactous, & à ſe ipſos vt natos, ita & doctos, aut ſui corporis abſentis Symbolum, ſignum, efficaciam, aut neſcio quam figuram, inanemque abſentis carnis vmbram, vanamque ſui ſanguinis laruam. Iſtud furioſum dogma copioſius refutare, huius

Quanta impietate ſcateat impij Caluini doctrina de Euchariſtia.

ius non eſt loci: quod viri noſtræ ætatis doctiſſimi plurimis ſcriptis elaboratiſſimis doctè non minus, quam ſolidè, adeoque perſpicuè omnibus (qui modò verum videre volunt) demonſtrarunt, argumentiſque inſolubilibus, prorſuſque irrefragabilibus auitę fidei, eidemque Apoſtolicæ traditioni conſentaneè conſtabilierunt. Hoc igitur poſito, nimirum eſſe ex fide noſtra, & (quod ait D. Hilarius) ex D. Saluatoris Chriſti profeſſione ac teſtimonio verum Domini Corpus in S. Euchariſtia præſens, vereque illis myſticis panis & vini ſpeciebus vi diuina, operationeq; Spiritus Sancti contentum, omnem phanaticam ſuperat inſaniam, velle nunc hoc ſacrificiũ Chriſtianis à Chriſto Domino tam diſertis verbis ad offerendum Deo Patri in ſui memoriam relictum & inſtitutum, ſacrilegè inſimulare, Sathanicoque furore impiæ accuſare idololatriæ. Quando diuinos illos Prophetas conſulo, quos Deus Opt. nobis Chriſtianis relictos voluit ad Religionis Chriſtianæ patrocinium ſimul & inuictum præſidium, obſtu-

Vide D. Hilarium de Trinitate.

Sacrificiũ Chriſtianæ Eccleſiæ DD. Prophetæ adumbrarũt ſuis verbis.

obstupescere equidem satis nequeo, vbi homines in sacris literis versatos
Esaiæ 37. hac de re ambigere video. D. Esaias altare in medio Aegypti ædificandũ Domino Christo pronunciat cap. 37. Ac-
Malach. 2. cedit ei suffragator Malachias, qui voce diuina reprobans, abolensque vniuersas Mosaici sacerdotij hostias, vnam prædicit inter gentes, siue illos, qui ex paganismo idololatrico ad veri Dei Religionem per Christum eiusque Apostolos essent conuersi, nouam nomini eius & mundam offerrent hostiam, idque non vno, aut altero loco, sed toto, inquit, terrarum orbe.

Missam Latini vt Græci Apolysin dimissionẽ post sacrificium vocarunt vocaculo Religionis Christiano proprio. Apostoli appellant Missam verè Liturgiã: quam Græci vocant.

Quod D. Malachiæ oraculum cùm PP. Orthodoxi ad vnum omnes (quos perlongo catalogo in Panoplia & Apologetico citatos videat qui desiderat) consentanea voce, vnoque ore interpretentur de hoc sacrificio in cœna à Christo Domino instituto (quod Græci Liturgiam ab Apostolis, teste D. Luca 13. cap. Actorum dictam, siue Apolysin, Latini hanc vocem imitati Missam dixerunt, quasi populi post peractum de more Apostolico sacrifi-
cium

cium dimiſſionem) ſatis ſuperque no-
bis Catholicis eſt hoc in conſenſu toti-
us Eccleſiæ tam Græcæ, quàm Latinæ,
Syriacæ atque Aegyptiacæ præſidij, ne
apud homines non motæ mentis me-
ritò accuſemur idololatriæ.

CAP. IIII. Ciborum delectum longiſſimè à ſuperſtitione apud Catholicos nedum ab idololatria abeſſe.

Nunc in medium veniat Idolum,
quod aduerſarij apud Catholicos nu-
gantur in ciborum delectu, in ouorũ,
carniumque abſtinentia collocatum.

Sunt inter Euangelicos, qui eò de-
mentiæ prolapſi deprehenduntur, vt
Eccleſiam de idololatria non dubi-
tent accuſare, grauiterque adeò cri-
minari, quod certis ciborum aliquot
generibus ſtatis non vtatur diebus, pu-
ta quòd ouis & carnibus per Quadra-
geſimam abſtinet. Sicuti & alijs ali-
quot temporibus, potiſſ. ſexta feria, &
Sabbatho. Siquidem omnia volunt
eſſe Chriſtianis libera, omnia ſem-
per licita, gratiam CHRISTI, quod
ait Diuus Apoſtolus Iudas transfe-
rentes in luxuriam. Sed quantope-
rè iſti à vera Euangelica libertate ab-
errent, inde liqueat quod Diuus Pau-
lus pronunciat, regnum DEI non

esse escam & potum: sed iustitiam, & pacem, & gaudium Spiritus sancti. Neque enim Christiani in piscium esu collocant sanctimoniam: sed in domandis carnis nostræ cupiditatibus, & refrænandis nostræ voluntatis carnalis affectibus prauis, atque Dei mandato nō morigeris. Stolidi enim capitis est, existimare Christianos illis Dei donis, carne eius, & vino abstinere quasi impuris & abominandis: quod est Manichæorum delirium; quibus anathema dicimus: sed quòd à delicijs & oblectamentis, aut cibis carni gratioribus, & libidinem fouentibus, siue illecebrosis insitæque contra mentem rebellioni fomenta prębentibus abstinemus, non nisi virtutis acquirendæ, conseruandæ atque augendæ fit exercitio; atque laudando veræ in Deum pietatis promouendæ, ac propagandæ atque tuendæ studio: vt mens inuicto salutaris abstinentiæ præsidio adiuta, indomitam, petulcam & effrenem, adeoq; rebellem animæ subijciat carnem, quò suo Deo Christo seruiat purius, facilius, expeditius simul & obsequentius. Porrò

quanto-

quantoperè animam ad cœlestem illius perpetuæ contra carnem luctæ victoriam iuuet sobrietas, vini abstinentia, & deliciarum, oblectamentorum, licitarumque voluptatum simul & carnium carentia, nemo non in se facilè, qui verum dicere volet, experitur: de quo quia diffusius in libris de Apostolico virginitatis atque cœlibatus voto disseruimus, nunc illuc pios ablegamus lectores. Scitè admodum à Tertulliano dictum est, monstri fore simile, si cum Cerere & Baccho frigeret Venus. Quod sua pro astutia cùm iampridem calleat Sathanas, quò suos discipulos in effrænatiorem proliciat venerem, eos & Cerere & Baccho bellè studet implere, atque ad crepitum vsque tam anteriorem, quàm posticum infarcire, vt Idolo suo Astaroth (quod Venerem fuisse docti viri perantiqui asserunt) sacra faciant incesta, & parum pura. Cui⁹ idololatriç suç cùm permultos hodie inueniat studiosos, in odium eosdem excitat abstinentiæ atque omnis moderationis, omniumque ieiuniorum ab Ecclesia Christi domandæ

Vide lib. V. de virginitatis & apostolici cœlibatus voto Lindani.

Ne frigeat Venus, Bacchum & Cererē colunt nostri aduersarij ieiunia iridētes: quæ animarū sunt & medicamenta & adiumēta contra luctam rebellis carnis.

carnis atque spiritui magistro subigendæ agendæq; pœnitentiæ gratia institutorum. Quæ ipsa remedia à Dei Spiritu semper ad illā diuinā animæ cōtra suum corpus luctæ victoriā obtinendā ostensa, qui pijs cum Patribus Deo gratis, Christiq; spiritu præditis volet sibi in auxiliū adhibere, mirū ni facilè crassas illas nō minus, quàm impuras corporeas, vereq; beluinas vincat voluptates, quas irrefrænata & immoderata edendi atq; potitandi libido alit, & homini exitialiter fouet; nisi moderatrix ratio ex fidei Christianæ præscripto persuadeat, vitam esse pijs subinde abstinentijs repurgandam, atq; auerruncandam simul & refrænandam. Qua in re sanctissima & pijs Dei filijs omni semper tempore vsitata (vt DD. Eliæ, Ioannis Baptistæ atq; Pauli, Nazaræorum & Rechabitarum exempla euincunt) qui Catholicos idololatriam facere criminatur, absurdior est, quā vt pluribus rationibus sit redarguendus: magis flagro quā verbis castigatorijs habens opus; vtpote non tam mentis inops, quàm sensus cum beluis com-

munis egenus.

Sicut ſuperius caput de abſtinentia, pijſque ieiunijs diabolus in calumniam rapit & carnales homines carnalium deliciarum amantes contra Eccleſiam ad pias abſtinentias adhortantem incitat, ita & coniugium in medium adducit inſanis criminationibus exagitaturus, quaſi in contemptum eius quidam, ac velut impuri, ſiue abominandi ab vxoribus abſtineant. Eos ergo qui blandas coniugij voluptates Chriſti cauſſa contemnunt, criminari non deſinit, quaſi de illorum ſint idololatrarum grege, qui ſecundum dæmoniorũ doctrinas prohibẽt nubere. Quam Paulinam doctrinam qui ſibi non ſatis perſpectam habent, opinantur Catholicos à coniugijs abſtinentes prohibere nuptias, qui eas approbant, quando legitimè contrahuntur, confectis nuptialibus ſecundum SS. Canones Eccleſiaſticos tabulis.

CAP. V. Non eſſe idololatras qui à coniugio abſtinent apud Catholicos.

Quòd ſi non patitur Eccleſia Chriſti Sacerdotes, aut Monachos nuptias contrahere, non ideo magis dicenda eſt nuptias prohibere; quàm ſi

Monachi & sanctimoniales magis Deo sunt obligati, quàm viro sua vxor. Vnde illis licita esse nequeunt coniugia.

non ferat patrem suam ducere filiam, aut socrum suo nubere genero; aut virum, viuente priore vxore, alteram ducere. Sicut enim inter hos legitima nō sunt matrimonia, quòd gradus obsistunt cognationis: Sic nec inter Monachos & sanctimoniales potest esse ratum coniugium, quòd isti magis sunt Deo suis obligati votis, quàm vxor marito.

Hæc Apostolica doctrina cùm sit vel cæcis manifesta, mirum est, nunc temporis diabolum ei tot hominum myriades reddere potuisse infestas, quæ aut nupturiunt, aut vna, alteraque non contentæ vxorcula plurimas ambiunt, aut saltem equorum admissariorum more adhinniunt. Quæ res in dubio est argumento, libidinem in plurimorum huius seculi animo flagrare intemperanter admodum, atque immoderatissimè in corde exæstuare, quod illo cæco carpitur igni.

Cæterum quibus aduersarij sophismatibus conentur omnibus liberas persuadere nuptias, longioris foret operis, quàm vt hîc sit tractandum. Qui

eius

eius tenetur desiderio, nostros libros quinque consulat, quos pro tuendo virginitatis atqueChristiani cœlibatus voto hisce annis superioribus scripsimus, pro Concilij Tridentini Canone statuendo.

Proinde nunc ad magnum illud Idolum(quod boantes, vereque bacchantes cothurno exclamant tragico Euangelici ad vnum omnes) accuratius considerandum accingamur, quod Romanum isti insani volunt esse Pontificem: quem & verum Antichristum, & abominandum illius Babylonicæ (prô nefariam impudentiam, vereque effrontem inuerecundiam lenonibus dignam) meretricis non dispudet dicere scortatorem, magnumque Idoli Baal sacerdotem.

CAP. VI.

Rom. Pontificem an meritò aduersarij Antichristum sugillent.

Cùm Christianæ concordiæ hostis vt infestus, ita indefessus Sathanas fratrum calumniator, siue diabolus meritò dictus ætate D. Cypriani noua concitare moliretur Christiani corporis schismata, indefesso satagebat studio, vt Rom. Pontificem Cornelium illustrem admodum Christi Martyrem, inuictum

uictumque almæ veritatis testem suo Apostolico depelleret Throno, vt sublato (inquit D. Cyprian. epist. ad Cornelium) nauclero, atrocius in naufragæ Christi nauiculæ tabulas grassaretur. Nouit enim sua pro veteratoria calliditate astutus ille Sathan, quàm omnes sui conatus vtvt insani, vtvt immanes, & ab arte non tam Rhetorica, quā sophistica cum primis instructi frustra erūt, donec in terris iudex fuerit Christi vice omnibus prępositus: cui homines Christiani iustam controuersiarū dirimendarū deferunt cum authoritate solida definitionem, certam & ratā tribuunt determinationē. Hoc in Iudice quia diabolus certā animo pręsentiscit, indubiamque non modò sentit suæ in homines miseros suis erroribus & sacrilegis hæresibus à vero seductos tyrannidis calamitatem, ideo ita furiosè in Rom. Pont. insanit, furit, bacchatur, haud sanè aliter, quàm si luporum ea esset vis, vt suo effero vlulatu pastorem vnà suis cum canibus gregis Christi custodibus solo pellant, exturbent, profligent. Istud suum infestum studium

Cur omnes huius tempestatis hæretici Rom. Pontificem tā infestis animis execrētur. An non vt fures prætorem & carnificem.

um & aliàs diabolus in Romanum Pontificem non ſemel tentauit, quando ſuis nouis dogmatibus per ipſum agnoſcebat nigrum ſubinde fixum Theta: ſed nunquam maiori molimine, nunquam pari acrimonia, nunquã ſimili furore hunc ſingularem Religionis Chriſtianæ antiſtitem, inuictumque controuerſiarum omnium Dei iuſſu iudicem oppugnauit. Videt enim ſuum regnum in miſeros mortales, quorum refrigeſcit in horas iuxta Chriſti oraculum charitas, quia abundat indies iniquitas, dolendum nobis in modum propagandum, & Chriſti regnum noſtris perditiſſimis moribus miſerum in modum accidendum, ideo ſuis rebus conſultum facit, quod à capite, à quo meritò timet nouatæ ſuæ titulo Euangelij doctrinæ, ne falſi damnetur, iſtam exorſus eſt tragœdiam, vt hoc labefactato fidei Chriſtianæ capite non postremo, facilius & cætera, quæ inde pendent, fluctuantibus hominum huius tempeſtatis, mirè inſtabilium mẽtibus ſuffuretur. Math. 24.

Cæterum vt in capite ſuperiori 2.

Calui-

Caluinistæ insanire manifestò sunt cõuicti, Christianum sacrificium appellantes Idolum: ita bis insanire videntur reliqui factiosi tempestatis istius Euangelicæ fraterculi, qui Rom. Pontificem non modò Idolum, sed ipsum Antichristum non erubescunt proclamare, qui sedeat in templo Dei ostentans sese Deum. Istud dogma quam sit à veritate alienum, ipsi suo insano miseri declarant oppugnandi studio, quando in assignanda causa, cur nam ab eo discedendum sibi putarunt, ipsi non modò inter sese ex diametro dissentiunt, sed quod Caluinistæ pro ætiologia adferunt, Martinistæ pro ridiculo habent. Rursus è contrario, quod Martinistæ sua pro euclidiana demonstratione iactitant, Caluinistæ pro anili habent deliramento, siue vt Babylonium ac prodigiosum rident monstrum. propter doctrinam enim sacrosanctæ Eucharistiæ Impij isti Berengariani Rom. Pontificem execrantur vt Antichristum: quod Martinistæ pro mero habent delirio, ne manifesto dicam furore Sathana doctore dignissimo. E contrario

Variæ aduersariorũ causæ, cur Rom. Pontifex sit Antichristus, ipsos insanire conuincũt, dum sese ipsi mutuò refellunt.

Marti-

Martinistę sibi satis constare nequeunt, quem tandem omnium Rom. Pontificum primum suum fictitium faciant Antichristum: quod aliud alij, atque alij sibi monstrum in illo ordine fingunt, cui abominandum Antichristi titulum primò affigant. Sic & aliæ Sectariorum variorum cohortes alia atque alia sibi comminiscuntur argumẽta, quibus sibi infœlices persuadeant Rom. Pontificem illum perditionis esse filium, à D. Paulo prædictum. Quod vt facile foret infinitis argumentis manifestæ ostendere falsitatis, ne insanæ dicam blasphemiæ: ita vnum hoc loco suffecerit depromsisse syllogismum nõ Philosophicum, non Euclidianum, nõ denique Ciceronianum, sed Christianum, quo vniuersæ istæ Sathanicæ cohortes domum Dei infestis, præ rabido veritatis odio, animis oppugnãtes, manifestæ conuincantur insaniæ. Rom. Pontificem Sectarij ad vnum omnes Euangelicorum nomine, nunc per orbem Christianorum dirum in modum (pro dolor) grassantes, sibi suisque persuadere volunt, verum esse Antichristum,

Commentitium suũ Antichristum Romanum, alij alium sibi somniant, qua inconstantia se inuicem refellunt adeoque conficiunt.

Irrefragabilis contra Ecclesię Rom. hostes syllogismus pro Pont. Rom.

Achilles Euangelicorum ipsa rei veritate luculenta prostratus.

ſtum, & monſtrum illud diris execrandum, pijſque abominandum: cui apud Zachariam Dei voce dicitur, O paſtor, & Idolum: quod Religionem à Chriſto, inquiunt, & ab Apoſtolis Eccleſiæ Chriſtianæ traditam adulterarit, immutarit, deprauarit, adeoque falſarit cultu Baalitico & Babylonica illius in Apocalypſi meretricis blaſphema doctrina. Atqui ſcriptores Catholici (in quorum numero infimum meritò tenemus gradum: probè namque nobis conſcimus, quàm multa noſtris deſint, & à doctis viris non iniuria, immò à nobis ipſis illic deſiderentur) ſingula doctrinæ capita, ſuper quibus Romana modò accuſatur Eccleſia, demonſtrarunt non eſſe nouitia, non recentia, non à Rom. illis Pontificibus, quos Antichriſti Elogio variè inſigniunt, conficta, ſed concorditer ita toto Chriſtiani populi regno, totoque terrarum orbe ſemper fuiſſe doctum, atque adeò Chriſtianis Eccleſijs conformiter ab ipſis vſque cunabulis per manus traditum.

Iſtud de ſingulis controuerſiarum generi-

generibus nunc demonstrare, longissimi foret operis, quo nos & Panoplia suis Stromatum libris 3. post annos XX. auctior, & Apologeticum nos meritò, ni fallimur, leuare possunt. Alios quoq; huius ætatis, viros doctissimos consulat candidus lector, veritatis Euãgelicę ex animo studiosus. Verissimum inde agnoscet nos à vero nihil dicere alienũ. Hoc cùm pauci istorum Euangelicorũ, qui eruditionis præstantia cæteris antecellunt, agnoscant, aliud sibi fingunt, cur nam Rom. Pont. putent sibi habendum Antichristianum: sed simili plane causa, qua fures omnes ore vno, & carnifices, & iudices seueriores cupiunt sublatos: nimirum vt impunè in vniuersorum cum bona, tum corpora grassari queant. Sic & Euãgelici vt sublato errorum phanaticorũ & dogmatum impiorum iudice (quẽ Rom. Pont à Deo in locum illius Mosaici anhypeuthyni, & à quo non liceat prouocare constitutum, alibi demonstrauimus) cuiq́ue liceat, quod suo cuiusque libeat animo, renouatæ adeoq; impiæ religionis sequi Idolũ. A cuius merita appella-

Vide Panopliam & Præfat. in lib. de virginitate ad Gregor. XIII.

pellatione quàm longè absint Orthodoxa Ecclesiæ Christi Catholicæ dogmata, nunc pro hui⁹ loci opportunitate satis arbitror pijs hominibus est declaratum.

CAP. VII. Vigilandũ ne à Catholica Christi domo discedas, aut desertor exeas ad Antichristi castra.

Huiusmodi ferè sunt, frater Christiane, lectorque candide, quæ infœlices isti à Catholica Christi domo digressi homines, humanæ sapientiæ typho inflati, inanique eruditionis, nescio cuius præclaræ scientiæ, aut quarum literarũ & prophanarum professionum fastu arroganter tumidi, nos Catholicos audent idololatriæ accusare, cultusque, si Christo placet, Baalitici ore sacrilego criminari. Quorum tendiculas insidiosas, siue callidos & verè Sathanicos execrandorum errorum laqueos, vt quisque suæ in Christo salutis æternæ cupidus, queat certò euadere, nullum equidem noui consilium certius simul & efficacius, quàm illam semper præ oculis habere vt infallibilem, ita indubitatissimã Domini Christi Iesu Prophetiã:

Quonam modo euitandi errorum nũc grassantium laquei.

Math. 24. Marc. Lucæ.

Venient illis dieb⁹, inquit, multi pseudoprophetæ, atq; pseudochristi: dicentes, Ecce Christus hîc, ecce Christus illic,

lic,sed nolite credere: Ecce Christus in deserto,ecce Christus in penetralibus, nolite exire: Tempus nobis aduenisse, quod multos pareret Pseudochristos, siue fallos Prophetas, nemo inficias iuerit: cùm nõ modò nos istud Catholici profiteamur, tristesque lugeamus die ac nocte: sed ipsa etiam ista infœlicia Ecclesiæ ramenta, varijs nominibus varias in diaboli Synagogas exitialiter diuulsa, veram sibi quisque magno cũ supercilio (licet reclamantibus Sathanicæ suæ coniurationis socijs, fratribusq; Cyclopicis) Christi Ecclesiæ titulum vendicantia. Sed qui à vera deerrare nolit, illam sequatur vnam, quæ indubitanter Apostolos habet magistros. Vnde & Apostolica meritiss. à S. PP. Nicenis est cognominata. Nulli ergo alteri, quàm huic vni, Christianæ, Catholicæ, atque Apostolicæ credamus: quæ vna, eademque sola de Christo Iesu Nazareno, verissimo Messia, eiusque Sacramentis & fidei Euangelicæ mysterijs docet, doctrinam cœlitus à Patre orbi salutariter allatam.

Prophetias Christi hodie impleri de plurimis pseudoprophetis Euangelicis.

Veritas Christi & Euangelicę doctrinæ, nisi in sola inuenitur Catholica & Apostolica Ecclesia.

Rursus qui seduci nolit, istud audiat

 Chri-

Christi monitum, Si dixerint, Ecce Christus in deserto, ecce in penetralibus, nolite exire ab illo videlicet cœtu, quem & ipse, & post eum Apostoli ab eo missi collegerunt, exordio in alma illa Syone, siue Ierusalem facto. Vnde procul dubio iuxta diuina Prophetarum oracula egressura erat & lex noua, & verbum Dei Euangelicum. In qua quia vniuersi olim fuêre collecti, & quasi vno sub pastore Christo, ipsiusque Vicario Petro, fidisque successoribus hactenus vixere congregati, verè ac re ipsa Christiani, paucis nunc causas exponamus, cur tam multi luctuosissimis hisce temporibus ab ea discedunt, & ab eius fide Catholica longissimè iuxta ac infœlicissimè aberrant.

Exordium Ecclesiæ Christi veræ semper pijs sectandum.

Esa. 7.

CAP. VIII

Causæ cur tam multi hodie à fide discedunt Catholica.

Quando infesta diaboli hoc seculo in mortalium perniciem studia apud animum subinde recogito (quæ res nobis, quàm hic sol, recurrit sæpius) illum nobis aduenisse diem videre videor, qui olim Dei hostibus Aegyptijs admodum tristis illuxerat, de quo diuinum canit oraculum, Misit in eos iram indignationis suæ, immissionem

per

per angelos malos. Quod flagelli cœli- Psal. 77.
tus Aegyptijs inflicti, genus periphrasis est dæmonum, magna quadam turba, & quadam veluti turma militari, aut potius prædatorio quodam manipulo in illos emissorum, (quod voces Græcæ planiùs sonant ἀποστολὴν ἐξαπέστειλεν, quasi turmam dixeris malorum Angelorum) qui prædantium militum in modum per manipulos distributi, huc illuc excurrunt hominibus miseris infesti atque noxij. Est enim hîc ἀποστολὴ, apostole, nomen non dignitatis, vt est in diuinis D. Christi comitibus: sed manipuli quasi militaris, aut copiarum Bellicarum. Sicuti & hodie Græcorum vulgus Stolon appellat classem nauium. Voluit igitur Dauid nobis ad viuum exprimere Dominum Deum, in vltionem illatæ suo electo illi populo iniuriæ immisisse vindicem suorum tortorum (quos diuinæ literæ dæmones, & diabolos appellant) manum, quæ iusta rependeret impijs Aegyptijs præmia, debitasque de illis sumeret pœnas.

Apostole apud Dauidē, Psal. 77. vox est manipuli quasi militaris diabolorum in impios emissorū.

Stolos nūc Græcis est classis: sicuti & Stellinc Trāsysselanis publici officij est nomen, potiss. per Stellincvverff.

Aegyptiorum plagæ, typus erant nostrorum flagellorũ.

Quod igitur Aegyptijs varia nō minus, quàm stolida suorum Deorum verè ridiculorum, vt vituli, vt ouis, vt bouis, vt serpentium, vt murium, vt felium idola colentibus accidit: de quibus ille canit: Omnigenumque Deum monstra, & latrator Anubis, vt varia etiam plurimorum dæmonum sustinerent flagella: quibus primogenitos domi cacodæmones trucidabant, pecora in pratis perimebant, sata in agris exitiali calamitate vastabant: hoc ipsum & populo, sed spiritali ratione, nunc euenit Christiano. Hora enim appetere videtur, qua ille charissimus Christi discipulus, & ob virginitatis studium præ cæteris dilectus, in spiritu raptus, atque cœlitus eruditus, vidit Sathanam post annos mille soluendum, libereque in orbem Christianum vagaturum, immò pestilentissimè grassaturum, vt seducat gentes. Quod hodie miserandum in modũ impleri, nemo est, modò animo sapiat, qui fuerit inficias: potiss. sectis tam varijs, sese mutuò internecantib⁹, toto passim orbe grassantibus, & quando post infinitas in Sanctos

Hoc seculo præludium agitur ad horrendam illam Antichristi tragœdiam. Apoc. cap. 12

Ad impietatis summam tendunt Caluini discipuli.

&

& Dei tabernaculũ blaſphemias, quidam Caluiniſtæ ipſum Deum cum Chriſto ſuo libris, infandis in Chriſtum & Moyſen conuitijs refertis, in vulgus editis, contumelijs deridere, atque audacia Epicurea, immò pluſquam Sathanica aggrediuntur audacia oppugnare. Quòd ſi quis malit hæc ipſa luctuoſiſſima tempora eſſe duntaxat illius horrendæ admodum Epitaſeos pòſt futuræ quoddam præludium, is nos facilè habuerit ſuffragatores. Verè namque arbitror illud Chriſti Domini oraculum nunc habere locum: Initia dolorum hæc: quos Deus Opt. ſua pro paterna in nos benignitate vt mitigare dignetur, ſupplicare non deſinimus, ac ſuæ tandem recordatus miſericordiæ, iuſta in nos flagella ſua ſiſtat, nec acria adeò, aut vehementia porrò electo gregi ſuo infligat. Quod nobis futurũ polliceamur multò certius, ſi ardentẽ, aut ſaltem ſeriam videre eſſet, aut laicorũ, aut clericorum in primis deformatorum aliquam vitæ caſtigationẽ, morumque omni ex parte perditiſſimorum emendationem. Immò ſi ve-

Vide vitã Caluini per Theodorum Bezam.

Quo Dei flagella in nos ruunt acriora, hoc magis Deum vita mala offendere pergimus.

rum dicere quis audeat, eodem gradu nunc populus Christianus, potiss. electior eius portio clerus, mihi videtur ad iram Dei atrocius in se prouocandam niti, quo impij olim Iudæi, qui acerrimis, adeoque extremis cæsi furoris diuini flagellis, fame, inedia, penuria, peste, bello, exilio, magis sua cumulabant, immò exasperabant, & in horas tetriora, siue sceleratiora reddebant flagitia, quàm vnquam antea. An non & hoc videre est locis plurimis, piè lector, vbi vel primaria cleri membra, gregisque Dominici duces, prô pudor & dolor, indies suo ab instituto, vitæque Canonicæ Canonibus longius degenerant, exemplis nihil est opus pijs plus satis notis, quæ magis cum Ieremia lugere, lachrymisque eluere animo libet, quàm contumeliosius commemorare. Nunquam enim verius locum inuenit Threnus ille Propheticus, Cecidit corona capitis nostri, væ nobis quia peccauimus. Adeò namque corona cecidit capitis nostri, vt à clero, quem nobis elegisse, quando clerici ordinabamur, putamus, meritò

Surgit Cleri progenies in dies vitiosior.

tò videamur non modò degeneraſſe: ſed prorſus excidiſſe, & pro Dei populo facti cum illis gigantibus Moſaicis potentes à ſeculo filij hominum, & pro Dei Eccleſia ædificemus famoſam illam Babylonem, tam à Moyſe nobis Theorico penicillo depictam, quàm à D. Ioanne Euangeliſta in Apocalypſi reuelatam. Quod ne noſtris dictum quis putet verbis: age D. Thomam audiamus: qui cap. Geneſ. 6. explicans, ita contra clericos ſui temporis, quibus noſtri nihil vlla virtutis parte meliores concedunt, ſcriptum reliquit, ſicut ſexto, inquit, centenario Noë: in ſexta ætate humani generis, inundauit diluuium Iudæorum contra CHRISTVM, & paganorum contra martyres, & è contra fuit tunc in Christo & Eccleſia diluuium gratiarum: Ita in apertione ſexti ſignaculi ſimilia expectamus, ſicut patet ex Apocalypſi. A tempore enim, quo filij DEI clerici videlicet & religioſi videntes filias hominum, id eſt villas & ciuitates, & temporales diuitias earum, videntes quòd eſſent pulchræ

A malis cleri moribus quidnam Eccleſiæ, regibusque metuendū.

Gigantes hodie non deſunt Eccleſiæ, bona eius diripientes, & beſtiam Apocalypticam ædificantes

&

& quòd de facili generant multam & magnam prolem, acceperunt sibi pro libito vndequaque, extunc orti sunt in Ecclesia gigantes, in magnis & mirabilibus supra se ambulantes, qui potius videntur Reges vel Marchiones, quàm Episcopi, vel Abbates: & hi sunt fortes & potentes à seculo viri famosi, & ideò non mirum, si per eos erigatur imago bestię, & statua Babylonis, & terrena ciuitas dilatetur: & præcipuè hoc timendum est, si filij Euangelicæ paupertatis prædictas filias hominum amplectantur, & ambiant: timendum est, ne ex eis generent pseudochristos, & prodigia magna. Moritur verò homo post interfectionem quinq; sensuum, dum in sexto, id est, in deprauatione rationis fit diluuium culpæ mortalis, iuxta illud Christi ad Samaritanã: Quinque viros habuisti, & hunc, quem habes, non est tuus vir. E contrà post plenam iustificationem quinq; sensuum, quæ fit per vitam, intrat diluuium sapientiæ & mentalis munditiæ, quasi in sexto spiritualium contemplationum, & gustuum, experimentali sensu. Rursus

Imago bestiæ Apocalypticæ. Idolum Babylonis à quibus erigatur.

ſus ſicut circa finem quinti centenarij Noë, inundauit malicia, & tandem pœna ipſius: ſic in fine quinti temporis Eccleſiaſtici inundauit cupiditas, & impietas, & ideò in ſexta die Synagoga & idololatria perierunt, exeunte de aquis Syluestro, quaſi altero Noë, & in ſexta apparitione Eccleſiaſtici temporis eſt Babylon, id eſt, carnalis Eccleſia, ſubmergenda in mare inundantium nationum, vt cœtus pauperum Chriſti de naufragio nudus euadat. Hęc ille. Cęterum quàm verè dixerit D. Thomas, illam imaginem beſtiæ Apocalypticæ, & ſtatuam, ſiue Idolum Babylonis, à clericis ſuo ſeculo erigi, nemini piorum eſt dubium: quod euidentius noſtris liquet in morib9. Vniuerſum enim cleri gregem qui candidis, minimeq́ue conniuentib9 animę oculis perluſtrare non grauatur, agnoſcet in eos, potiſſ. per Germaniam noſtram, Galliamque vicinam, maximorum in primis Eccleſiæ beneficiorum titulis gloriantium, ne dicam luxuriantium, quadrare veriſſimè: quæ D. Ezechiel de Ieroſolimæ Sacerdotibus cap. 8. ad viuum depingit

Eccleſiæ carnalium Clericorũ quid euẽturum, vita ni emẽdetur.

Cur Deus ſuam ad tempus deſerat Eccleſiã abuſibus deformatam, & calamitatibus adobrutam.

Ezech. 8. pingit, & D.Hieron. de sui seculi clericis explanat. Ad portam enim Aquilonarem Dei Spiritu ille raptus audiuit, Fili hominis, videsne tu quid faciant isti? abominationes magnas, quas domus Israel facit hîc. Vt procul recedam à sanctis meis, siue à sanctuario meo? ne me, inquit, putes iniustè templum deserere, & subuertendam relinquere ciuitatem, aspice quæ in templo faciant. Cumque illa conspexeris, non putes finem esse scelerum, adhuc maiora conspicies. Quod quidem potest, ait D.Hieron. & de nostra Ierusalem, nostroque templo intelligi, quando in exemplum Ophiri & Phinees Idolorum scęlera operamur in tabernaculo DEI, & fornicamur cum his, quæ se militiæ & ministerio Dei vouerint, & sacrificiorum eius primitiua decerpimus. Dantes in vsum clientium & famulorum (adde & famularum) omniaque lucri causa facimus. si autem hæc tam magna sunt, quæ videmus, quanto maiora existimanda sunt, quæ effugiunt conscientiam? Rursus

Clerici & sacerdotes nostri an Iudaicis dissimiles.

Cur Deus Germaniã Galliamq; minatur se deserturũ, fidemque Christi aliò translaturum.

Speculum nostri seculi apud D.Hieron. depingitur

O mores nostrates ad viuum depictos concubinariorum, Simoniacorum, incestuosorum, & turpilucrorum.

Non pauci hodie idolorũ scelera operãtur in propatulo. Deus nouit, quidnam fiat in Ecclesiasticorum abscondito.

Rurſus vbi Propheta vidit decem viros ſeniores domus Iſrael, & Iezoniam filium Zaphan, ſtantes ante picturas Idolorum, ſuum quemque thuribulum tenentes manibus, & vaporem nebulæ conſurgere: hoc factum ſit iuxta literam, inquit Diuus Hieronymus. Cæterùm & nobis orandum eſt, ne ſeniores domus Iſrael ſeptenarium numerum, qui eſt Sanctus, ſeptem decades multiplicantes ſtent in erroribus ſuis, & adorent picturas Idolorum, vaporque ſacrilegij aſcendat ſiue conſurgat, reſiſtens DEO. Quando viderimus plebem peſſimè congregatam, de qua ſcriptum eſt, O diui Eccleſiam malignantium, & priores plebe Præpoſitos, nequioremque principem, qui præfectus eſt plebi atque presbyteris: dicamus Iezoniam ſtantem ante picturas, & ſingulos habere thuribula in manibus ſuis, non DEI maieſtatem, ſed proprias ſententias adorantes, & nequaquam odorem bonæ fragrantiæ ad DEVM, ſed fœtorem ad Idola peruenire. Et dixit ad me Stẽtz. Ex eo, inquit,

Sacerdotes populo paſſim nequiores & vitioſiores

inquit, quod in templo faciunt pariter congregati, ostenditur, quid vnusquisque in cubiculo suo facit, sed secundũ anagogen melius intelligi potest, quod nonnulli Principes Ecclesiarum faciunt in tenebris, quæ dictu turpia sunt. Iste est absconditus cordis homo, de quo dicitur. Ingredere in cubiculum tuum. Et rursum, Qui videt in abscondito reddet tibi. Recolat vnusquisque conscientiam suam, & opera tenebrarum recordetur in tenebris, sciatque scriptum, omnis qui malè operatur, odit lucem, & non venit ad lucem ne arguatur à luce; & in se illud intelliget esse completum, Qui inebriatur, nocte inebriatur. Quod iuxta literam stare non potest. Quanti enim in prandijs, conuiuijsque dierum inebriantur? Sed quia ebrietas cordis offendens Deum, tenebrarum est, & non lucis, propterea quicunque inebriatur, nocte inebriatur. Cùm autem seniores domus Israel fecerint mala in tenebris, & in abscondito cubiculorum suorum, & putauerint se Deum posse celare, tunc consequenter dicent, Non videt nos Dominus.

Ecquid hodie de nostris moribus dicas, ô S. Pater?

Cur hodie e clero plurimi ad hæreticos deficiant.

nus. dereliquit Dominus terram: multique ſunt peccatores & ambulantes iuxta cogitationes ſuas, qui Deum non exiſtimant curare mortalia, nec ad illum noſtra vitia pertinere. Certè quando peccamus, ſi cogitaremus Deum videre, & eſſe pręſentem, nunquam quod ei diſplicet, faceremus.

Faxit Deus Opt. vt tales nulli hodie reperiantur.

Iſtum quidem in modum de corruptis ſui ſeculi moribus philoſophatur Diuus Hieronymus: Verùm hæc poſteriora equidem mihi perſuadere non poſſum, de noſtri ſeculi ſacerdotibus, mihi ſanè notis, verè affirmari. Vtinam & ſuperiorem D. Hieron. Satyram pari conſcientia liceret inficiari. An enim ignotum eſt non deeſſe, qui in hortis ſuis nudas collocant & Veneres, & Thaidas? an non ſuis in penetralibus phalloſa quædam monſtra, immò ne à D. Hieron. verbis recedamus, Idola oſtentantes? an non in lecticis ſuis, aut eburneis, aut ſericis, aut ſtrigiato, & Muſaico artificio excultis, fœdas rerũ, quas vel cogitare pijs Chriſtianis ſcelus eſt, imagines ſpectantium oculis rubore magno repræſentantes? Nolo nunc

CAP. IX. Duplicem vſum pijs habet notatio aſperior merũ corruptorum noſtri ſeculi.

illa commemorare thuribula Prophetica, quibus isti habitu quidem sacerdotes, animo prophanissimi homines, in penetralibus sacrificant suæ quisque Thaidi, aut Pluto insatiabili, aut insano deniq; gutturi & guloso ventri. Suffecerit piis fratribus Deum timentibꝰ, hęc ex D. Hieron. recitasse verbosiùs, ne ipsorum infirmiores ęquo grauiꝰ ex illis scandalis verè Euangelicis, in fine mundi ab angelis in rogum illum æternum reijciendis offendantur, si Catholicam Christi Ecclesiã & nunc talibus vident, pro dolor, plenam, atq; ideo eã sibi putent more plurimorum deserendam, & ad Synagogas Sathanæ transeundum sub nomine, aut Lutheri, aut Caluini, aut Anabaptistarũ, aut deniq; Libertinorum Henrici Nicolai Roterodami: qui vndique omnes hæreticorum hircos in suam verè Tartaream cloacam, quam domum charitatis blaterat, conatur cogere: cùm sit spurcissimum cupiditatis carnalis lustrũ, fœdissimũ inhonestatis prostibulum, & Epicurea omnis hæreticæ impietatis colluuies. Sed D. Hieron. exemplo & nos oremꝰ,

Ex malis bona Deus facit, & pij homines.

Reprobi scandalis offensi, ruunt sua malitia in diaboli retia.

ſi talia videmus (vtinam nuſquam à quoquã videantur amplius) ne homines Eccleſiaſtico dediti officio ſtent in erroribus ſuis, & adorent picturas Idolorum, eadem Idola ſuis in animis affectuum votis, & ſtudio vitæ colentes, quibus priſci illi idololatræ ſuis in aris thure atque mola litabant.

Scandala Eccleſiæ à Clero, piis occaſio eſt ardentioris orationis, exemplo, D. Hieronymi.

Atqui dum hęc Eccleſiæ Chriſti ſcandala commemoras liberiùs ſimul & copioſiùs, (dixerit aliquis noſtri ex animo ſtudioſus) non paucos ipſe tua oratione ſi non ſatyrica, certè quàm ſit par, liberiore offendis, tibique infeſtos reddis, qui hæc putentia vulnera, ſiue teterrima potius Eccleſiaſtici corporis vlcera malũt occultata, & vomicas ſuas contectas. Qui huiuſmodi ſunt iudicio, malis medicis ſi quis cõferat, errare non videbitur, niſi me corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, fallit amor, quòd non modò ſine manifeſtis illis ſcandalis & grauiſſimis vulneribus, ſed etiam ſine macula & ruga percupere, ac quod irritis licet votis, exoptare nõ deſinimus. Ad ſanãdum enim illi afflictiſſimæ cõſtituti vulnera ei⁹ nõ ſanãt,

An occultanda hodie cleri vulnera.

vomicas non depurant, vlcera non curant, quod ſaucium eſt, nullo adhibito fomento religant, quod aberrauit, ad gregem non reuocant, quod veneno perijt hæretico, non ſtudent priſtinæ reddere incolumitati: ſed acceptis ſuæ profeſſionis & officij Eccleſiaſtici opimis ſtipendijs, corpus illud tantoperè Chriſto Domino adamatum ſinunt ſuis vlceribus computreſcere, vomicis contabeſcere, purulentia intolerabili perire, nullo adhibito aut purgandi, aut emendandi, aut inſtaurandi remedio. Viſitationes enim ægrotarum Chriſti ouium, ſuis dediti aut voluptatibus, aut mundi delicijs, aut nugacibus ſeculi negotijs, negligunt, aut hominibus ſui ſimilibus ita ſedulò credunt, vt aliud nihil quærere videantur, quàm vt cenſus ille tam opimus ex maximo, ne dicam Regio, beneficiorum Eccleſiaſticorum tanto numero, pro pudor, excumulatorum prouentu nihil accidatur, nihil decreſcat, nihil imminuatur. Quòd ſi illis eſſet Paulinus Spiritus, qui Apoſtolum exclamare cogebat, Quis ſcandalizatur, & ego non

vror, & ipsi proculdubio maiorem sui gregis adeò afflicti, & deformati, ne dicam ex dimidio deuorati, tandem sanandi curam assumerēt aliquam. Quibus si displicet hæc oratio, ad D. Hieronymi exemplum improbos nostri seculi taxans mores, cogitandum est, & nunc accidere pijs Dei æmulatoribus, quod illo Apostolico tempore (vt & olim diuini verbi pręconibus, sanctis Dei hominibus, Prophetis) veris Christi cultoribus vsu venisse sacra testatur scriptura, Si de mundo essetis, & mundus, quod suum est amaret. Gratius verò est, longeq; nobis optabilius, nunc istis infestis virtutum osoribus, & vitiorum vel grauissimorum amatoribus odio esse, cum D D. Ioanne Baptista, Chrysostomo, Hieronymo, Bernardo, alijsque Sanctis improbitatum & flagitiorum sui seculi reprehensoribus, quàm silentij malè tuti, quod adulationis quandam vmbram simulat, culpa æternos nobis tormentorum immortalium ignes conciliare. Si enim nos, quibus assiduè S. Spiritus ingeminat, Clama, ne cesses, ad tam intoleran-

da Ecclesiasticorum in primis flagitia, quibus, pro dolor, orbis tantum non obruitur Christianus, tacemus, & more illorum canum apud Prophetã mutorum nos consilescimus, ecquis tandẽ obsecro mutire audebit aduersus istos frugiperdas, gregisque Dominici non pastores, sed dispersores, dissipatores, deuoratores, de puluere potiss. ereptos, & thronis (quanam arte nouit Deus & homines, sed bouem & ouem in lingua gestantes) Ecclesiasticis impositos ad punienda nostri seculi scelera? hoc autẽ veræ (quod equidem arbitror) pietatis officium procurandæ ipsorum saluti impensum si quosdam offendit, aut infestos adeò reddit, non debent zelatores Dei hac de causa animis concidere, illud Spirit⁹ Sancti oraculũ sibi persuasum habẽtes: Amicitia hui⁹ seculi, ami-
Iacob. 2. citia est Dei. Rursus illud: Cũ loquebar
Psal. 132. illis, impugnabant me gratis. Sicuti & ipse virtutũ magister cõqueritur: Odio habuerũt me gratis, ac pro eo, vt me diligerent, detrahebãt mihi, odiumq; pro dilectione mea reddidere. Quòd si ergo talis oratio vitiorũ & insectatrix, & ex-

pultrix quibusdam magis voluptatum & mundi, quam Dei amatorib⁹ displicet, aut sapit amarius, ac pro piæ admonitionis (quid enim aliud agitur, quàm vt suam contemplati impuræ, auaræ, sacrilegæ vitę fœditatem, à vitijs resipiscant, Deoq́; morigeros sese in posterũ prębeant) præmio inuidũ & iniquũ rependere pergũt odiũ, nobis de illa Euãgelica gratulandũ est beatitudine, quã suis æmulatoribus Christus Dominus vitiorũ omniũ osor acerrimus, simul & insectator asperrimus, pollicetur: Beati eritis, cũ vos ꝓpter iustitiã oderint homines: gaudete & exultate. Sed istis alio deplorãdi loco relictis, nos modò caussas grassantiũ tot idolorũ siue dæmoniacarũ hæreseon paucis exponam⁹, vt ijs cognitis, pij in Domino Iesu fratres facili⁹ sibi à laqueis dęmonij meridiani, negotijsq́; isti⁹ in tenebris ambulãtis, ac verè pestiliter grassantis caueant, & si qui fortè infœliciter capti tenẽtur, in tẽpore ad mẽtẽ redeãt, atq; ex animo resipiscẽtes, ad Deũ patrũ suorũ per Apostolos toto cõcorditer orbe annũciatũ, desertis dijs alienis hacten⁹ cultis, hoc est,

peregrinis dæmoniorum & hominum mente corruptorum doctrinis, toto pectore nihil simulantes incunctanter recurrant, quod vt citò læti videamus, faxit Deus propitius.

CAP. X. Causa hæreseon est, populi Dei peccata, & Cleri flagitia.

Vnam esse abominandarum hæreseon causam, & veluti abyssum illam infernalem, cultorum Dei peccata, nullus inficiabitur, qui attentus, solicitaq; animi consideratione diuinas legerit literas, mentis diuinę interpretes, & voluntatis eius internuncias. De ipsis hæresiarchis, qui aut ambitione, vt Arrhius, Montanus, Berengarius: aut libidine, vt Marcion, Manichæus, Priscillianus, Bucerus: aut denique auaritia, vt Lutherus, Pomeranus, & nostri seculi fex Anabaptistica, & Caluinistica, in primis verò ille Theodor⁹ Beza, tam varijs venditarum Abbatiarum Simonijs, quàm fœda libidine, adulterijs, plurimisque incestibus nobilis, moti seditionem in Dei populo excitarint, nunc minus opportunum est agere. Huic enim labori alius dabitur locus libello, cui titulus erit, Christo propitio, De origine abominandarum inter Christianos

ſtianos Sectarum. Sed nunc Dei populo remedia quęrentes ſalutaria, inueſtigemus, modò tibi, cãdide, faſtidioſum non fuerit, an aliæ ſunt eius plagarum quaſi Aegyptiarum, aut Babylonicarũ cauſę, quàm peccata. Sicut igitur Iudaico populo aut exilij, aut peſtis, aut famis, aut denique Apoſtaſiæ, ſiue ad idololatriam defectionis alia non fuit cauſa, quàm vitæ prioris peccatum (propter iniuſtitias enim ſuas, deplorat ille, humiliati ſunt, & in captiuitatem traditi) ita & Chriſtianis euenire dubium eſſe nequit. Chriſtus Dominus de illa generali à fide Apoſtaſia, ſub mundi finem horribiliter graſſatura prophetans: quia abundauit iniquitas, inquit, refrigeſcet charitas: Diuini amoris ignem in cordibus credentium exſtinctum, ſiue ardens diuinæ legis ſtudium refrigereſcens, cauſam indicans, cur à fide Chriſtiani illo ſeculo, cui iam præluditur, tam multi deficient.

Pſal. 104.

Math. 24.

Euanidas namque vitæ præſentis delicias diligentes, atque, vti Paulus quiritatur, magis voluptatum, quàm Dei amatores, malunt futura præſentibus

non modò postponere, sed etiam commutare, quod spes futurorum illorum immortalium bonorum pijs in cœlo repositorum, vincitur vanis præsentiũ voluptatum blanditijs, inanibusq; superatur allubescentiũ oblectamentorũ illecebris. Hinc & fides sua veluti basi, & abaco firma, rerũ æternarum spe destituta paulatim labascit, quatitur, euertitur. Quod nobis D. Paulus luculento admodum sui seculi exemplo demonstrat. Hortatus enim suum discipulum Timotheũ adolescentẽ Episco-
1. Tim. 1 pũ, vt diligẽter sese diuinarum literarũ studio, & prædicationi tradat, militans in eis, inquit, bonam militiam, habens fidẽ & conscientiã bonã, siue vitã inculpatæ conscientiæ respondentẽ, quæ sibi non sit aut sceleratæ hypocriseos, aut occultæ iniquitatis conscia: quam quidem repellentes, à fide naufragiũ fecerunt. Extremũ hoc colon nõ obscurã, ni fallor, continet causam, cur à fide Apostolica tunc quidã deficiebant. Quia bonã, inquit, cõsciẽtiã, quæ aliter viuẽdũ ipsis dictabat, quàm viuebãt, vitã ducẽtes in adulterijs, in luxurijs, in cõmessationi-

ſationibus repulerunt, ſiue ab animo reiecerunt, nihil ſoliciti quid mens impuræ obmurmuraret vitæ, modò ſuorum carnalium deſideriorum, & malè dulciũ votorũ fierent compotes. Hoc igitur miſelli lucri captabant infœlices illiꝰ ſeculi Apoſtolici hæreſiarchæ, nimirũ vanidas carnis voluptates, & verè dieculares (vti aptiſſ. D. Iacobꝰ appellat) delicias. Videamus igitur, an nõ eandẽ impuræ voluptatis mercedẽ etiã illorũ diſcipuli quęritabant. D. Paulus ſuo penicillo graphicè impuros ſui ſeculi depingens mores, teſtatur illos hæreſiarchas impurarum voluptatũ mancipia, ſuas in errorũ naſſas, non paucas mulierculas pellexiſſe, ſed onuſtas peccatis: cauſam non obſcuram exponens, cur illos libidinoſos magiſtros libidinoſæ ſectarentur diſcipulæ. Quod de molliori hominũ genere, puta de mulierculis ſui ſeculi pronunciat D. Paulꝰ, in robuſtiori quoq; habet locũ, puta in viris, immò ſi verũ dicere licet, magis hodie, pro pudor, in dãnatarũ doctrinarũ voragines ſeſe præcipites dãt paſſim viri, potiſſ. ꝑ Germanias, q̃ fœminę, quemad-

Homines peccatis onuſti hodie, in diaboli ruunt laqueos, vt D. Pauli ætate.

quemadmodum & nos vtramque peragrantes, nō obſcuris deprehendimus exemplis. Vnde pijs aliquot non abſurdum oritur argumentum, faciliorem fore iſtarū Prouinciarū ad pium auitæ Religionis cultū reuocationem, quum matribus plerumque maior ſoleat Religionis charæ ſoboli tradendæ cura ineſſe. Plurimi enim virorum magis Epicuream videntur ducere vitam, ſuſque deque ferentes, quænam floreat religio, Lutheri ne, an Caluini, an Libertinorum, modò benè ſuo ſit ventri, qui pleriſque Deus eſt. Fuiſſe namque hoc ſeculo noſtro 1500. vitam populi Chriſtiani diſſolutiſſimam, delicatiſſimam, plurimiſque vitijs deditiſſimam, nemo qui verum fateri volet, iuerit inficias. Verùm inter hæc, quaſi Regina regnabat ebrietas, inſaniæ, ac dementis vecordiæ mater: cui ſuccedanea fuit auaritia, omnium malorum radix meritò à Dei Spiritu dicta, quæ vndique raperet, quod explendis inſani mundi, & petulcæ carnis cupiditatibus videbatur opportunum. Iſtæ porrò duæ furiæ, vbi hominum impiorum animos ſemel occu-

Quibus vitiorum gradibus ad hęreſes, deinde ad atheiſmū nunc plurimi delabantur.
Ebrietas.
Libido.
Auaritia.
Hæreſis.
Magia.
Idololatria.

occuparunt, in quæuis nefaria eos proliciunt, immò propellunt flagitia, & in ipsam adeò deturbant magiam, quæ omnium iudicio indubitata est Idololatria. De qua nunc non erit importunum paucis declarare, quantoperè per istos, qui Euangelicorum titulo sese plebeijs venditant, sit prouecta, librisq; adeò tradita, & exemplis illustrata. Negari non potest, ante nostram ætatem non paucos fuisse per Germanias illarum nigrarum (quas dicit vulgus) artium magistros, qui sese in monte, quem vocant in Italia Veneris, eas hausisse profitebantur. Fuerunt, pro pudor, fuerunt passim non ignoti, & modò quidam non incelebres regnare dicuntur, quorum scripta nobis clanculum oblata, loquuntur abominandas istorum in Deum blasphemias: quas anim⁹ meminisse horret, ita vt mirer Dei patientiam illa posse tolerare: sed nunquam eò impudentiæ fuêre deuoluti, vt libris in vulgus editis damnatas illas artes aut docerent, aut licitas defenderent. Siquidem occulto naturæ, aut conscientiæ potius dictamine ducti, abscondere

Magiam & Idololatriam vt nunc promoueant Euangelici, potiss. Geneuen. & passim Caluinistæ,

quemadmodum & nos vtramque peragrantes, nō obſcuris deprehendimus exemplis. Vnde pijs aliquot non abſurdum oritur argumentum, faciliorem fore iſtarū Prouinciarū ad pium auitæ Religionis cultū reuocationem, quum matribus plerumque maior ſoleat Religionis charæ ſoboli tradendæ cura ineſſe. Plurimi enim virorum magis Epicuream videntur ducere vitam, ſuſque deque ferentes, quænam floreat religio, Lutheri ne, an Caluini, an Libertinorum, modò benè ſuo ſit ventri, qui pleriſque Deus eſt. Fuiſſe namque hoc ſeculo noſtro 1500. vitam populi Chriſtiani diſſolutiſſimam, delicatiſſimam, plurimiſque vitijs deditiſſimam, nemo qui verum fateri volet, iuerit inficias. Verùm inter hæc, quaſi Regina regnabat ebrietas, inſaniæ, ac dementis vecordiæ mater: cui ſuccedanea fuit auaritia, omnium malorum radix meritò à Dei Spiritu dicta, quæ vndique raperet, quod explendis inſani mundi, & petulcæ carnis cupiditatibus videbatur opportunum. Iſtæ porrò duæ furiæ, vbi hominum impiorum animos ſemel occu-

Quibus vitiorum gradibus ad hęreſes, deinde ad atheiſmū nunc plurimi delabantur.
Ebrietas.
Libido.
Auaritia.
Hæreſis.
Magia.
Idololatria.

occuparunt, in quæuis nefaria eos proliciunt, immò propellunt flagitia, & in ipſam adeò deturbant magiam, quæ omnium iudicio indubitata eſt Idololatria. De qua nunc non erit importunum paucis declarare, quantoperè per iſtos, qui Euangelicorum titulo ſeſe plebeijs venditant, ſit prouecta, libriſq; adeò tradita, & exemplis illuſtrata. Negari non poteſt, ante noſtram ætatem non paucos fuiſſe per Germanias illarum nigrarum (quas dicit vulgus) artium magiſtros, qui ſeſe in monte, quem vocant in Italia Veneris, eas hauſiſſe profitebantur. Fuerunt, pro pudor, fuerunt paſſim non ignoti, & modò quidam non incelebres regnare dicuntur, quorum ſcripta nobis clanculum oblata, loquuntur abominandas iſtorum in Deum blaſphemias: quas anim⁹ meminiſſe horret, ita vt mirer Dei patientiam illa poſſe tolerare: ſed nunquam eò impudentiæ fuêre deuoluti, vt libris in vulgus editis damnatas illas artes aut docerent, aut licitas defenderent. Siquidem occulto naturæ, aut conſcientiæ potius dictamine ducti, abſcondere

Magiam & Idololatriam vt nunc promoueant Euangelici, potiſſ. Geneuen. & paſſim Caluiniſtæ.

dere omni nisu moliebantur, ne quid ad vulgi aures emanaret istorũ mysteriorum. Vnde & Cornelij Agrippæ, qui hoc nomine, sicuti & alter quidã Cornelius Aulicus, cuius nõ licet cognomẽ hîc edere, audiebat pessimè, libros tres de occulta philosophia, siue vera magia nostri maiores in lucẽ prodire nõ fuêre passi: at nunc tandẽ, si Christo placet, ab istis Euangelicis in lucem editi sunt forma 8. papyroq; nitida, Lugduni apud Beringos, anno 1550. qui inter plurimos pestilẽtissimos Adriani Hamstedij ex Anglia ꝓfugi ac naufragi in Haghã comitis perlati, nobis à Principe Aurãgio Hollandiæ Gubernatore fuêre donati. Sed ne quid meticulosis superesset scrupuli, aut fortis ne deesset ad experiendũ anim⁹, immò ne quis de certo carminũ magicorũ & incãtationũ dæmoniacarũ dubitaret euentu, en nobis in Theatrũ ꝓdijt anno 63. Basileę per Henricũ Petri, Epitome de specieb⁹ magiæ cęremonialis, Authore Georgio Pictorio Alsatiæ Archiatro, in qua varia vbi exposuisset incantationũ genera, suam cap. 21. describit Coscinomãtiã: qua per cribrum

cribrũ & forcipẽ illi ſuperpoſitũ, dęmones ad indicandũ aut furem, inquit, aut latronẽ, deinde ſex illis execrãdis verbis DIES MIES · : · · ENI THEMAVS expoſitis, narrat ſeſe hoc diuinationis genere vſum (ô virum Euangelicum) ꝓpter furtũ, propter caſſes diſſectos, & canis ſui amiſſi ſtudio: vbi ſemper pro voto aleã ſibi fœliciter cecidiſſe miſer gloriatur. In poſterũ tamẽ ſe abſtinuiſſe, ne dæmones ipſi os oblinerent, & amplius ſeducẽdo illaquearent. Atqui, infœlix medice, iã pridẽ te illaqueatũ tenet cacodæmon. Quòd ſi religio tibi eſt, ampliꝰ eo diuinationis genere vti, cur illud edito in omniũ oculos libro vulgare voluiſti, omnibuſq; tuæ idololatriæ prodere myſteria? Quantũ verò magiæ cũ diſcẽdæ, tũ exercendę proſit ſchola Geneuẽ. Caluiniſtarũ, ex diſerta diſcipulorũ Caluini & Confeſſione, & exemplis manifeſtis ſuperiꝰ cap. 11. lib. 1. demonſtrauimus, ex libello Archibaldi Hamiltonij Scoti, de confuſione Caluinianæ ſectæ anno 77. Pariſijs impreſſo. Quàm bene igitur de Republ. mereantur, qui nunc totius antiquitatis quaſi

cornicum oculos figere ausi, cõtra omnes omnium ætatum Doctores patrocinium sagarum & dęmoniacarũ texere moliuntur, huius non est loci disserere. Quo enim agantur, immò pleni sint Spiritu, reipsa plus nimiò declarant. Satis est hîc pios admonuisse lectores, & istos non mediocrem dæmoni mendaciorum magistro nauare operam, qui misera dæmonum mancipia, à legum ciuilium poena insanis suis scriptis audent vindicare. Huiusmodi enim patrocinio dæmoniacis sagarum artibus præstito, non parum execrabile istud diaboli augent, firmantque regnum: quo ad sua Idola superius commemorata infœlices animas facilius pertrahat callidus impostor Sathanas.

CAP. XI. Defectum vitæ piæ viam præparare, illi generali Apostasiæ à fide Christi per Antichristum inuehendæ.

Plura hanc in rem, nisi breuis esse locus suaderet, possemus accumulare: sed nunc vnum illum quasi Apostasiæ Sathanicę fontem aperiamus, vnde liqueat, non nisi ob verarum virtutum defectum hodie plurimos à Catholica Christi Iesu fide discedere.

Immanem illam populi Christiani à fide Apostasiam olim futuram D. Paulus

lus Dei Spiritu eruditꝰ certò præuidẽs, plurimos prophetat à Chriſto, eiúſue Catholica Eccleſia diſceſſuros ſub infauſtum Antichriſti aduentum, eò quòd dilexerunt mendacium, & charitatem veritatis, inquit, non receperunt. Qui ſuam vitam bonis virtutum actibus non ornant, putantes ſola ſeſe fide ſaluandos: & qui non ſingulari erga veritatem doctrinæ Chriſti amore afficiuntur, ij ſunt grauiſſimis illis periculis errorum & Apoſtaſiæ certò expoſiti (modò D. Paulus fidem meretur) quæ Antichriſtus ille falſis dæmonum miraculis inſtructus orbi intentabit olim, ad pernicioſam multorum deceptionem.

Duos igitur fontes Apoſtaſiæ hoc loco D. Paulus, nobis Dei Spiritu magiſtro aperire dignatur, quòd ideò plurimi à Chriſto diſcedunt, ſiue à Catholica deficiunt Eccleſia, quòd aut veram in Deum charitatem non habent, vt eius obedire velint mandatis, atque ablandientibus ad horulam peccatis reſiſtere: aut quia doctrinæ Chriſti qui veritas eſt, ab Apoſtolis prædicatæ non

toto adhęrent pectore, vt in ea immoti velint perseuerare: à qua veluti æquo minus constantes, blandis hęresiarcharum verbis, mollibus promissis, & vt
Rom. 16. Paulus dicit, benedictionibus, εὐλογίαις, falsisque adulationibus, dimouentur, detrahuntur, deturbantur, vanam hominum fallacium doctrinam pro Dei verbo suscipientes, exosculantes, ac tantum non pro Idolo adorantes.

CAP. XII. Remedia & antipharmaca contra grassantes passim hæreses.

Hac ex D. Pauli doctrina perspicuum fit, non alio nos certiùs, contra hæreses Sathanæ studio in orbe grassantes, clypeo tutius muniri, aut remedio alexicaco securius præseruari, quàm vita secundum Dei legem pia, & doctrina secundum Christi Euangelium, per Apostolos Catholicæ ipsius Ecclesiæ traditum inuiolata. Si namque nobis & fides Christi manet inuicta, siue immota, nulloque sui articulo temerata, siue violata: & vita accesserit pura, siue grandioribus illis peccatis cælo nos exturbantibus, & exhæredantibus non contaminata, sed veritati dogmatis Christiani respondens, atque consentanea,

tanea, equidem putarim pijs nihil, à grassantibus negotij ambulantis in tenebris, siue rabidi adeò illius dæmonij meridiani incursionibus, callidisque non minùs, quàm fraudulentis impugnationibus fore periculi. Quibus igitur sua æterna illa in Christo Iesu salus chara est, vident (ni fallor) quantoperè laborandum sit, vt & fides Christi Catholica ipsis stet immota, & vitam ducant Euangelicam Christiani hominis professione dignam. Ad quam diuus Petrus tam solicitis hortatur verbis, vt per bona opera spem vocationis nostræ, ad quam fides deducit, faciamus certam. Nisi enim bonis operibus, quasi vestimentis, fidem nostram dare quotidie studeamus, ornatiorem, & charitatis quasi gratissimis, immò desideratissimis Deo fructibus florentiorem, ipsa paulatim flaccescit, atque lucida marcescit, totaque euanescit, & quæ priùs erat pedibus nostris in DEVM dirigendis lucerna veritatis, tandem extincto malorum operum, quasi teterrima tenebrarum caligine, lumine, nos in pristinã relabimur

2. Pet. 1.

Fides Christi nisi bonis operibus ornetur, euanescit: & animi lumine per vitia extincto, in priores suas homo relabitur tenebras.

Fides animi lucerna quibuſdā in caligi nem vertitur.

cœcitatem, à qua fuimus Chriſti gratia dudum ſalutariter liberati. Hoc illud eſt, quod D. Petrus de quibuſdam ſui ſeculi Apoſtatis deplorat: Qui bonæ vitæ fructibus ſuam non ornat fidem, inquit, & ſpem ſuæ vocationis cœleſtis non ſtudet in dies per illa facere certiorem: ſed impuræ vitę, ſiue malis ſeſe tradit operibus, cœcus eſt, & manu palpans, ſiue, vti eſt apud D. Petrum μυωπάζων, quod expreſſiùs ſonat, eminus non proſpiciens: ſed ea tantum, quæ præ oculis, ſiue non procul videns, quæ abſunt longiùs.

Eraſmi verſio rectè à quibuſdam notata.

Eraſmus enim à Grammaticis Geneuen. meritò ridetur, quòd à muribus dictam voluit vocem: cùm non ἀπὸ τῶν μυῶν, ſed παρὰ τὸ μύειν ὦπας, ab oculos ſubinde claudendo, ſit cōflata.

Budæi lapſus.

Budæus conniuentes maluit reddere, ſed minus accuratè, ſicuti & memoriæ lapſus eſt, quòd eam vocem apud D. Paulum dicit exſtare, cùm illud potius oculorum vitium notet, quod ſubluſtrem ſolis lucem non ſuſtinet, quale in ijs videre eſt, qui noctuarum more clarum ſolis fulgorem, niſi frequenti oculorum infirmiorum nictu,

ctu,

ctu, ferre nequeunt. Significat enim D. Petrus noxiam istam vitæ piæ incuriã, inde miseris illis prouenisse, quod tantum quæ ob oculos tunc versantur, cogitant, præsentibus rerum pereuntium illecebris ita capti, & vanis ipsarum ad horulam blandientium delicijs demẽtati, vt futuram æternæ vitæ gloriam, pœnasque horribilissimi inferni sempiternas animo non pertractent, nedũ animo religiosa formidine perterrefacto exhorrescant.

Ex quanã causa plerisq; Christianis oriatur piæ vitæ incuria.

Istam sententiam D. Petri, verba sequentia planiùs indicare videantur, si lector, quod subtexuit expendat: Obliuionem accipiens, inquit, remissionis veterum delictorum: quòd ex ingratitudine erga singularem Dei ex inferno eripientis clementiam ista plurimis infligitur animi cœcutiẽtis, & suam quasi salutem negligentis, aut saltem non satagentis plaga, Aegyptijs illis tenebris multò calamitiosior. Cæterùm istos ad hæreses impias, vereque sacrilegas gradus ore Dauidis Spiritus sanctus adumbrasse mihi videtur, vbi initio Psalmorum illum docet iustum at-

Verè iustū siue beatū virum non docet philosophia, sed Spirit' sanctus in scriptura.

que beatum, (de quo semper omnis Philosophorum schola inanibus tantū verbis rixatur) qui non abijt in consilio impiorum, siue irreligiosorum idololatriæ, aut Atheismo addictus, & qui ab illis semotus non persistit in via peccātium, nec in vita vitijs atq; flagitijs dedita perseuerat, denique qui non sedit in cathedra pestilentiæ, siue impiæ ac prophanæ doctrinæ. Non obscurè diuinus Propheta in magistralem execrandorum errorum scholam eos delabi indicat, qui à vitijs non recedunt: sed ijs perpetrandis sese deuouent, animoque obstinato à grandioribus sceleribus nolunt discedere. A quo æternæ salutis præcipitio periculum illis non est, qui vitam suam ad Christi normam emendantes, fidem Christi Apostolicam & Catholicam sua pro virili in dies, orando, ieiunando, & cœlestia meditando, student conseruare, pijsque operibus excolere, atque ad vitam proficere Euangelicam, fructibus pœnitentia dignis ornandam, atque insignioribus virtutum officijs floridam & frugiferam faciendam. Hos enim ita

Certissimū contra hæreses pharmacum, fides Apostolica pijs operibus florida.

fidei

fidei Chriſtianæ collaborantes, ipſa fides ceu fidiſſimum, inuictumque præſidium & arx inexpugnabilis, tuebitur, defendet, atque inuictos contra infeſtiſſ. iſtos piæ, ſalutariſque doctrinæ hoſtes propugnabit.

Teſtatur enim D. Petrus iſta cœleſti doctrina, in primus illuſtratus, Chriſtianos virtute ac potentia Dei cuſtodiri per fidem in ſalutem, ſiue vt ipſe ait ſignificantius φρουρεῖσθαι muniri, & quaſi τῇ φρουρᾷ, militari ſatellitio & p̄ſidio firmari, propugnari, excubijſque peruigilibus tutari.

Fides Chriſti eſt pijs certiſſima tutela & ſatellitium contra æternæ ſalutis hoſtes.

Non ignauis igitur Chriſti commilitonibus, illa cælitus donata in Deum viuum & verum fides, veriſſimum ſimul & inuictiſſimum eſt præſidium, inſuperabiliſque contra inſidiantes noſtræ ſaluti hoſtes cuſtodia, militariſque Dei Sabaoth tutela: qua communiti, ac velut in coronæ modum cincti, cuſtodimur in ſalutem, ne illam nobis vllo, aut humanarum fraudulentiarum, aut ſophiſticarum aſtutiarum, aut denique hoſtilium inſidiarum genere, hoſtes inuidi cacodæmones

Ignauos Chriſti cōmilitones fides paulatim deſerit.

præpediant, aut interturbent, nedum eripiant. Quam diuinam fidei Christianæ vim & efficaciam, humanas vires longiss. superantem, suis in animis experiuntur, quotquot iuxta D. Iacobi hortamenta eam nituntur non mortuam habere, aut inaniter ad captandam humanæ laudis gloriolam: circumferre, sed viuam facere, siue bonis operibus fructuosam efficere: quod tum demum fit, quando à peccatis abstinentes, virtutum officijs nos totos dedicamus, seduliq; incumbimus. Sic enim Dauid suo exemplo pios hortatur, in via Dei ambulãdum, siue vitam piè transigendam, dum orat, Viam iniquitatis, siue iniustitiæ, ac flagitiosam vitam amoue à me, dum viã veritatis elegi, vt sublato peccatorum, quasi remorarum veritatis discendæ ac præstandæ iustitiæ, impedimento, viam veritatis, vitæque Deo gratæ cognoscat, ingrediatur, percurrat.

Formula vitæ Christianæ quę ad cœlos certò perducat.

Prius igitur docet Sanctus Spiritus, tollenda vitæ impuræ ac sceleratæ impedimenta, tunc demum illustrem apparı-

parituram veritatis Euangelicæ viam: quæ pijs vitæ ſanctæ operibus munita, ac religioſis orationum, & potiſſimè ſacræ communionis exercitijs frequentioribus, ac religioſa quotidianæ SS. Miſſæ auditione, ſiue gratiſſima Deo Patri ſacrificij Chriſtiani meditatione condecorata, nos ad illas beatas immortalium bonorum deducat ſedes.

Quod eò diligentiùs, vigilantiùs ſimul & accurratiùs nunc tempeſtatis, pijs omnibus ſuam in CHRISTO ſalutem amantibus faciendum, immò ſatagendum eſt, quòd nunquã atrocior, & furioſior in Dei Eccleſiam inſurrexerit procella, nunquam maior in Dei filios exarſit diaboli inuidia, nunquam (ſi rectè memini hiſtorias Eccleſiaſticas) plura ille hoſtis implacabilis diabolus, bono CHRISTI ſemini Euangelico, Apoſtolicæque doctrinæ ſuperſeminauit zizania, verè Sathanica, ſiue (vt Diuus Paulus rectiſſimè vocat) dæmoniorum doctrinas. Quod agnoſcit facilè, cui hæreſes

Cur Chriſtianis noſtri ſeculi, virtutibus ac piæ vitę opera tam ſedulò nauanda.

&c nostro seculo immensa quadam vi, numeroque prorsus infinito grassantes: & olim per quædam quasi Sathanicæ impietatis fragmenta in orbem dispersa, non sunt ex chronographis ignota.

CAP. XIII Epilogus. Videte igitur, & vos fratres in Christo dilectissimi, & cauete ne in aliquo vestrum sit cor malum incredulitatis, siue τῆς ἀπιστίας, infidelitatis & perfidiæ, vt sua sibi quisque noua humanæ doctrinæ Idola eligentes, discedatis à DEO viuo & CHRISTO eius, Ecclesiaque ab ipso per Apostolos toto terrarum orbe in vnitate fidei iampridem collecta: sed adhortemini vos ipsos quotidie ad constantiam in pia vita, aut resipiscentiam saltem, Christianis viris dignam, vt non obduretur quis in vobis fallacia & deceptione peccati, quòd à DEO exitialiter abducit, ac perniciosè separat. Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ, siue τὴν ἀρχὴν, principium fidei, quo in rebus diuinis per regenerationem fundati

Hebr. 2.

dati ſumus, firmum, immotum, & inuariatum, nedum erroribus perfidiæ degenerãs, aut humana, immò dęmonum doctrina deprauatum obtineamus. Videmus enim quoſdam in promiſſam illis quidem terræ beatę requiem, quæ indubitatus fuit cœleſtis noſtræ patriæ typus, olim ingredi non potuiſſe propter incredulitatem. Timeam⁹ ergo & nos, ne fortè reiecta, aut deſerta Dei promiſſione illorum cœleſtium bonorum, & requietis multò beatiſſimæ, aliquis videatur deeſſe, ſuaq; vocationis cœleſtis ſpe fruſtratus eſſe: ſed in illam nulla orationis copia explicabilem requiem feſtinemus alacres, vt illud horrendum Iudaicæ incredulitatis exemplum euitantes, & vniuerſo impiæ ac prophanæ doctrinæ Idola fugientes, fidem Chriſtianam, nobis ſingulari DEI munere in CHRISTI Baptiſmate donatam, pijs virtutum Euangelicarum operibus excolamus, atque ornemus: Denique eam floridam, vereque viuidam adiuuante Hebr. 4.

viui-

viuificante CHRISTI Spiritu, reddamus: quò & nos reportemus tandem exoptatum pijs semper omnibus finem fidei nostræ, salutem animarum nostrarum.
2.Pet.3.

AMEN.

PROFES-

PROFESSIO CATHOLICA M. SEBASTIANI FLASCHII MANSFELDENSIS, NON

vulgaris eruditionis & authoritatis viri, vbi Lutheranam Hæresin, in qua & natus, & à puero institutus fuerat, liberè abiurat, simulq́ abiurationis suæ causas viginti duas adducens, fucatam illius sectæ naturam, & dolos, quibus miseros deludit mortales, breuiter & accuratè depingit.

ILLVSTRISS. ET CLEMENTISS. PRINCIPI AC DN. DN. Carolo Archiduci Austriæ, &c.

CAtholicis prius hostis erã: peruersa secutus
Dogmata, Lutheri relligiosus eram.
Falsa sed implessent postquam mendacia mentem,
Catholicæ factus sum pietatis amans.
Relligionis habes nostræ, inclyte Carole, causas,
Cur sim conuersus, perlege, scripta dabunt.
Catholicum diuina ducem te numina seruent,
Te, dum viuus ero, chare Patrone, colam.

Serenitati tuæ
Deuotissimus
M. Sebastianus Flasch
Mansfeldensis.

AD LECTOREM.

VT pateat multis, vani commenta Lutheri
Quàm varios habeãt, lector amice, dolos:
Ecce Typographica memorabilis arte Cholinus,
Pluribus exemplis hæc tibi scripta dedit.

RATIO-

RATIONES M. SEBASTIANI FLASCHII MANSFELDENSIS, CVR RELICTO *Lutheranismo, ad Catholicam Romanam Ecclesiam se receperit.*

SI qui ſunt, qui cauſam ſcire volunt, quare ego M. Sebaſtianus Flaſch Manſfeldenſis, pertæſus Lutheraniſmi, in quo natus & educatus ſum, & quem publicè, & priuatim, tum in ſcholis, tũ in templis propagare, & confirmare ſtudui, nunc demum ſenex, & affecta propemodum ætate, ad Eccleſię Catholicæ gremium me contulerim: hi non grauatim legere dignentur ſequentes rationes, quas obiter, & raptim collegi, nullam aliam ob cauſam, quàm vt me apud quoſdam maleuolos ſiniſtra ſuſpicione ambitionis, cupiditatis, vel alicuius emolumenti corporalis, liberarem. Quibus rationibus vtinam acquieſce-

quieſcerent, & ad conuerſionem inuitarentur illi quoque, qui mecum ſub eodem iugo captiuitatis Babylonicæ multis iam annis miſeram ſeruitutem ſeruierunt.

Prima. Quòd ſatis ſuperque, & quidem non ſine admiratione deprehenderim, ex mutua vtriuſque collatione partis, lectione priuata, & Catholicorum publicis concionibus, Catholicos longè aliter ſentire & docere, quàm à Lutheranis arguuntur, quodque doctrinam Eccleſiæ Catholicæ apertis mendacijs deformare, & in odium ac contemptum adducere, de induſtria, & quidem cōtra conſcientiam ſtudeant, & laborent: Sic enim habet Auguſtana Confeſſio, Catholicos docere, non cōcedendum eſſe, quòd gratis propter Chriſtum remiſſio peccatorum detur. Item Apologia Auguſtanæ Confeſſionis aſſerit, Catholicos vbique excluſo Chriſto docere, mereri iuſtificationem per opera legis. Rurſus, Catholicos Mariam Chriſto æquare, & id genus alia infinita, quæ longum foret hîc ordine enumerare. Et profectò Lutherus ipſe eo

Vide Dietenberg. in confutat. Luth. de votis & cōfeſſ. vbi conuicit & arguit eum 874. mendaciorum. In lib. con. Emſerum.

eo loco haberi vult, vt ſi vel ſemel mẽtiri manifeſtè deprehendatur, tanquã infamis nebulo habeatur, qui nihil fidei mereatur in vllo ſcripto. Quare nemo mihi vitio vertere poteſt, quòd ſtudio & amore veritatis, repudiato Lutheri Euangelio & ſcriptis, in quibus innumerabilia penè deprehendas mẽdacia, me ad Chriſti Euangelium, & Catholicæ Eccleſiæ gremium receperim.

Secunda. Quòd deinde ex libris Lutheri manifeſtè cognouerim, ipſum inuidia potiùs, quàm pio zelo ad ſcribẽdum incitatum, & ad euertendam Catholicam Religionem ſuas tetras & nouas opiniones propagare & ſtabilire voluiſſe.

De Capti. Babyl. & lib. contra Papatum.

Tertia. Quòd etiam in eiuſdem ſcriptis & Tomis, tantam inuenerim verborum turpitudinem, & ſcurrilem obſcœnitatem, vt etiam lenones ipſos, & omnem ſcortorum impudentiam facilè vincat, quibus cùm plurimas paginas conſpurcatas habeat, non difficile eſſet exempla afferre, niſi pias & religioſas aures offendere vererer.

Libro cõtra Pap. & Ioan. Farcimen. Item in ſerm. conuiualibus.

In præfat. Bibli. Lutheri. Vide Emſer. Vice. Dieten. Staph. Lindanum

Quarta. Quòd inſuper certò compererim, Lutheranos non modò integros libros (alioquin ab Eccleſia approbatos) tanquam apocrypha ſcripta ex ſacræ Scripturæ Catalogo reijcere: ſed etiam libros, quos retinent, paſſim in infinitis locis de induſtria corrupiſſe ac deprauaſſe, ad nouam ſuam vanam doctrinam meliùs confirmandam. Quòd ſi adulterare monetam, vel Regias literas, capitale cenſetur, quantò magis ſcelus capitale exiſtimãdum eſt, ſcripta Prophetica & Apoſtolica mutilare, peruertere, & falſa interpretatione contaminare? Quemadmodum Lutherus plerunque facere conſueuit, qui conciliandæ ſibi maioris authoritatis gratia, omnes alios, quantumuis pios interpretes, ab ipſo diſcrepantes ex alto deſpicit & contemnit, nec quicquã valere ſinit, quàm quòd ipſe dixit.

Quinta. Quòd item perſpexerim, eos paſſim in interpretatione ſcripturæ ludere & comminiſci, addere & demere, quicquid libet, modò fuco aliquo velari poſſint ad ſimplicibus imponẽdum. Sed de ſuis corruptelis conuicti,

ſic

ſic à Magiſtro ſuo Luthero reſpondere docentur: D. Martinus Lutherus vult ſic habere, & dicit, Papiſtam & Aſinum eſſe rem vnam: Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas. Nolumus enim Papiſtarum ſcholares aut diſcipuli eſſe, ſed magiſtri ac iudices. Quis autem in hac cauſa non mallet audire & ſequi verſionem & interpretationem ab Eccleſia approbatam, vel item vocem Chriſti, & Apoſtolorum, quàm periuri & pfidi Monachi impudētē temeritatē?

Ad quendam amicum Tom. 4. germ. Vvitenberg. fol. 475.

Sexta. Quòd ſimul eò peruenerim in inquiſitione veritatis, vt quæ antea conſentanea eſſe Scripturæ & Patribus credidi, ea nunc cum ipſis ex diametro pugnare, & longiſſimè diſcrepare notauerim.

Septima. Quòd poſtea etiam deprehenderim, eos non ſolùm ſacram Scripturam, ſed etiam ſanctorum Patrum teſtimonia & ſcripta partim adulterare, partim ad ſtabilienda propria commenta, vanè & ſiniſtrè interpretari & detorquere: Quodq; per Dei gratiam nūc tandē intellexerim, quàm mirabili & artificioſa fallacia hominū mentes

perſtringant in Scripturis ſacris mirificè extollendis, & citandis Patribus & Concilijs: Cùm tamen non alio loco reuera Sanctos Patres & Concilia habeant, quàm quo loco Alcoranum Mahometi, & Aeſopi fabulas, & pluris in veritate axiomata ſua faciant, quàm ipſam Scripturam ſacram. Nam quod ad Patres attinet, ſi authoritate eorum vrgeantur, vel impudenter reijciunt, vel ſi deprauare, vel alio loco torquere non poſſunt, ſe eos recipere aſſerunt, ſed quatenus cum Scriptura conſentiunt. Quaſi non eatenus etiam Alcoranum, & Aeſopi fabulas recipiant. Quomodo verò ad Scripturam eos examinent, inde notum eſt, quòd non Scripturam ipſam, ſed ſua dogmata, ſiue propria axiomata Scripturæ regulam faciant: Nam ſi quod Concilium dicat eſſe Purgatorium, aut Miſſam eſſe ſacrificium, ſtatim reijcitur: non quia hoc vlla ſcriptura neget, ſed quia eorũ dogmatibus aduerſatur. Ita Epiſtola S. Iacobi ad dogma Lutheri, Sola fides iuſtificat, eſt examinata: & quia dogmata Lutheri euertebat, pro ſtrami-

nea

nea est reiecta. Sic secundus Machabæorum ad alterum dogma examinatus est: Non offerendum, vel sacrificãdum pro mortuis: Et quia non quadrabat, in apocryphos reiectus est. Quis igitur credat, eos summam authoritatem (vt videri volunt) Scripturæ tribuere, cùm non solùm Patres & Concilia, sed etiam ipsam Scripturam ad regulam suorum axiomatum examinent, explodant, & reijciant?

Octaua. Quòd ex scriptis S. Patrum didicerim, doctrinam Lutheri nihil ferè aliud esse, quàm quoddam chaos, & veluti farraginem quandam ex obsoletis heresibus, & erroribus antiquorum hæreticorum collectam, quos iãdudum Concilia legitima, & S. Patres viuo Dei verbo magno consensu reiecerunt, refutarunt, anathematizarunt, & ex Ecclesia profligarunt.

Vide Sanderum lib 8. de Monarchia visibil. cap. 57. Lindanus in Tabulis hæresem.

Nona. Quòd etiam animaduerterim, Lutherum in multis locis à seipso longissimè dissentire, & crebrò pugnãtia dicere, atque adeò semetipsum proprio iudicio damnare & mendacem reddere.

Vide Fabrium de antilogijs Luthe. Item Septicipitem Cochlei.

Contra Regem Angliæ aduerſ. falsò dictum ſtat. Eccleſiaſt. In 1. Timoth. 2. Tom. 1. Ger. Vvitenberg. & ſuper Pſal. 45. Tom. 3. in ſerm. conuiuali bus titulo de Prophetis & Patriarch. Item titulo de operib. Dei, & titulo de Chriſto, & de ſola fide.

Decima. Quòd cùm ipſe Lutherus iactet, ſe certiſſimum eſſe, quòd doctrina ſua non ſit ſua, ſed Chriſti, omnibuſque deneget ſalutem, quicunque eam non recipiunt, tamen obſeruauerim, eum ſubinde de Doctrina ſua dubitare, immò aſſerere, ſe credere non poſſe, vera eſſe, quæ tradidit, & ſcripſit in libris ſuis. Nec mirum, cùm alibi fateatur, ſe ne Chriſto quidem credere poſſe, & eius verbis firmiter confidere, quippe qui affirmet, ſe plus fiduciæ collocare in ſua Catharina & Philippo, quàm in Chriſto.

Vndecima. Quòd ad hæc ſolidis argumentis conuictus ſim, vt affirmare audeam & debeam, gregem Lutheranorum eſſe populum ſine vera Dei Eccleſia, ſine Sacrificio, Abſolutione, Sacramento Altaris, veris Sacerdotibus & miniſtris. Ex quorum numero aliquot annis (proh dolor) me vnum quoque fuiſſe fateor, & ex animo doleo, qui neque ritè, neque legitimè, ſeu modo Eccleſiaſtico vocatus, miniſterium verbi & Sacramentorum apud miſeram plebem adminiſtraui.

Duode-

Duodecima. Nec parùm iuuitatus ſum & hac ratione, quòd Lutherani conſcij ſibi de defectu veritatis & errore, ſententiam quandoque ſuam munire contendunt Patrum authoritate & teſtimonijs, quibus vt videantur conſentanea & veriſimilia tradere, multa & varia ipſorum dicta inſidiosè & perperam pro ſe citant, ſuaſque hæreſes illis affingunt: quin & apertè de illis mentiri non verentur. Atque vt exempli gratia vnum atque alterum afferam: Apologia Auguſtana affingit S. Auguſtino, quòd ſcripſerit, peccatum in Baptiſmo remitti, non vt non ſit, ſed vt non imputetur: quod nuſquam ſcripſit S. Auguſtinus, ſed contrarium aſſeruit quàm plurimis in locis. Similiter Proteſtantes aduerſus Concilium Tridentinum, anno 62. aſſerunt, S. Ambroſium negare, per iuſtos nos ire poſſe ad Deum, cùm tamen dicat, per iſtos (intelligens Paganorum Deos) nō poſſe iri ad Deum: ſic vocem, Iſtos, de induſtria & fraudulenter corrūpentes & mutantes in Iuſtos. Sic etiā eadē Apologia Auguſtana

apertè de S. Patribus mentiri non erubeſcit, affirmans, veteres ſcriptores ante S. Gregorium nullam feciſſe Sanctorum inuocationis mentionem, cùm tamen diuus Athanaſius, Gregorius Niſſenus, Ephrem, Theodoretus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Origenes, & multi alij, qui ante Gregorium extiterunt, non tantùm eius mentionem fecerint, ſed etiam inuocationem & verbo, & exemplo docuerint. Ne quis igitur talibus eorum impoſturis decipiatur, Patres ipſos inſpiciat, & locorum ab ipſis citatorum verba, & circumſtantias ſedulò expendat: Facilè enim fallitur, qui temere credit talibus impoſtoribus.

Vide Elēchum hæretic. authore Gabriele Prateolo.

Decima tertia. Me item ingenuè cōperiſſe fateor, concionatores Lutheranos in multis articulis, Turcis & Mahometiſtis magis patrocinari, quàm Chriſtianis, & ipſorum mores, & ritus propemodum per Cacozelian imitari, & repræſentare.

Decima quarta. Quòd ſuper hæc omnia longa experientia notauerim, quales fructus ipſorum fides & religio produx-

produxerit, tales videlicet, vt quiſque, quod libet, ſibi licere putet. Quæ quidem libertas carnis (quam tamen ipſi Chriſtianam appellant) hoc efficit, vt in reprobum ſenſum tradantur, & vt inter eos omnis generis ſcelera, vbiq; locorum ſumma licentia & impunitate graſſentur.

Vide tabulam Staphyli de concordia fratrum Euangelicorum.

Decima quinta. Quòd intellexerim quoque, omnes penè ſectas, quotquot hac noſtra ætate graſſantur, non aliunde, niſi ex eiuſdem Lutheri libris & doctrina, tanquam ex ſcaturigine promanaſſe, & propagatas eſſe.

Concio. 3. habit. 1546. Tom. 4. fol. 597. pag 2.

Decima ſexta. Quòd etiam inuenerim in eius operibus multas acerbiſſimas criminationes & conuitia, quibus omnes ſuos aduerſarios proſcindere & inſectari, ſibique ſoli omnem laudẽ vendicare & tribuere ſolet. Et non ſolùm non parcit Prælatis & Theologis, ſed nec quidem Romano Pontifici, Epiſcopis, Academijs, atque adeò ipſi Cæſareæ Maieſtati, Regibus, Principibus, & alijs Imperij ordinibus, immò etiam beatis ipſis cum Chriſto regnantibus, vt ſeſe verum eius præcurſorem

esse demonstret, de quo nouissimis temporibus venturo iam olim Daniel Propheta, & S. Ioannes in Apocalypsi vaticinati sunt: Quòd futurus esset Rex impudens facie, qui cor suum magnificabit, cuique dabitur os loquens magna, & blasphemias contra Deum, tabernaculum eius, & eos, qui in cælo habitant.

Decima septima. Quòd ex ipsiusmet scriptis & Tomis perspexerim, non solùm Ecclesiasticas personas, videlicet Pontificem & Episcopos, ac Academias celeberrimas, sed etiam Imperij status & ordines, Lutheranam religionē & fidem, vt summam impietatem & hæresin manifestam in ipso exortu dānasse & proscripsisse.

Decima octaua. Nec parùm & illud me mouisse fateor, quòd Lutherani concionatores vsque adeò oculati sint in peccata, & leuissimos næuos Catholicorum, vt eos non solùm diligenter obseruare, & notare consueuerint: sed etiam eosdem pro concione vsque adeò exaggerare, vt ex musca Elephantem facientes, vniuersum illorum ministeri-

nisterium, & doctrinam suspectam & odiosam reddant. Cùm tamen è diuerso, si ex vita & moribus fides & religio iudicanda est, nusquam minùs, quàm apud illos veram doctrinam sonare iudicandum sit, quippe qui multis modis Catholicorum flagitia in tam breui sui noui Euangelij cursu superasse videantur. Nam, vt de sola libidine dicam, cùm ipsi Concionatores vxores ducant, adeò illis non contenti sunt, vt ad explendam insatiabilem suam libidinem, frequenter iuxta Lutheri doctrinam etiam Ancillis abuti, & (quod magis fœdum est) aliorum Vxoribus vim afferre, Commutationemque Vxorum inter se mutuò instituere non erubescant. Quod tam apertè de ipsis affirmare & scribere non auderem, nisi tamdiu inter eos versatus, id certo & crebro cum multis alijs comperissem. Taceo qui tentent frequenter inter audiendum confessiones, quorsum tam sæpe ægritudines simulent, infirmos visitent, conuiuia quędã instituant. Hoc vnicum libet referre de quodã nõ infimæ sortis concionatore, Nota benè

qui

qui mecum paciſci contendebat de commutandis inter nos vxoribus: & ad id faciendum quodammodo me vi cogere volebat, cùm videret, me nulla ratione in tantum ſcelus velle acquieſcere. Plura id genus præclara facinora pudor prohibet longiùs commemorare.

Decima nona. Non etiam ſine falſitatis opinione paucis abhinc annis videre potui, Lutheranorum religionem ſenſim collabi, & inteſtinis diſſenſionibus in perniciem & interitum adduci: concionatores, & Academiarum profeſſores in mutua odia religionis exardeſcere, adeò vt nec Superintendens Superintendentem, nec Miniſter Miniſtrum, nec æditiuum ferat æditiuus: dominari palàm fœdas partium criminationes, aperta conuitia, & execranda anathematum fulmina: in conſtituenda religione cuique, quod libet, licere: nullum eſſe diſputationis ordinem, nullam dirimendarum controuerſiarum certam, & conſtantem regulam, nullum veritatis & fidei tutum aſylum. Qua ex re grauiſſimæ exiſtant neceſſe

eſt,

eſt, & deplorandę calamitates, & extremæ afflictarum conſcientiarum deſperationes.

Viceſima. Hic etiam de Barbarica illa ignorantia dicendum eſt, quæ paulatim inter eoſdem Lutheranos ita creuit, vt vix maius incrementum ſumere poſſe videatur. Poſtquàm enim anteſignani illorum, qui à Catholicis inſtituti, doctrina maiori præſtabant, mortui ſunt, nullus penè ampliùs reſtat, de verè ſolideque doctis viris, qui cauſam religionis Lutheranæ paulò accuratiùs agere, vel propugnare poſſit. Nam ſi qui ſunt, qui ſibi aliquam eruditionem tribuunt, illi tamen ridiculè ineptiunt, & rhetoricantur in ſuis ſcriptis, & concionibus, vt vix operæ pretium ſit, eas legere, vel audire. Nec tamen aliud quicquam tractant, quàm vetera ſuorum Præceptorum mendacia, quæ iam pridem à tot ſcriptoribus Catholicis ſunt confutata. Vnde fit, vt in tanta penuria literatorum, ad adminiſtrationẽ Verbi Dei & Sacramentorum, ſeſe ingerant leuiſſimi homines, perfidi Monachi, Sartores, Sutores, Lictores, Carnifices,

nifices, & ſimiles cerdones, vt dignum ſit patella operculũ, & ſimiles habeant labra lactucas: licet nihilominus iactitent, & glorientur, ſe non quoſuis, ſed tantum perfectæ probitatis & eruditionis viros ad tractandum miniſterium admittere. Contrà verò maximus eſt virorum Catholicorum numerus, qui excellunt omni doctrinarum genere, ſicut eorum libri, quos ſingulis annis edunt, teſtantur.

Viceſima prima. Quod etiam meminerim, quàm plurimos ad tantam deſperationem venire, vt in tanta fidei ſuæ certitudine & fiducia, vitam ſibi ipſis non dubitent vel laqueo, vel alio ſupplicij genere extorquere: cuius rei apud eos frequentiſſima extant exempla, quæ quidem vanitatem doctrinæ Lutheranæ in erigendis perterrefactis conſcientijs (vt ipſi loquuntur) non obſcurè oſtendunt. Sed talium deſperationum nulla iam me tenet admiratio, quandoquidem & extra Eccleſiam ſunt, in qua ſola vera conſolatio inuenitur, & veris miniſtris Sacramentorum, veraque abſolutione peccato-

rum destituuntur. Quare mihi non fit verisimile, aliquem ex Catholicis sanæ mentis, vlla ratione flecti, aut persuaderi in posterum posse, vt à fide sua deficiat ad Lutheranismi impietatem, in quo vix aliud præter meram confusionem omnium rerum, & conscientiarũ trepidationem, vel puer septimum annum egressus, animaduertere & agnoscere queat. Quæ quidem res etiam ipsos Lutheranos Concionatores miris modis angit & confundit, ita vt ferè nihil minùs verũ esse statuãt, quàm suam religionem & doctrinam. Ideoq́ue simul eam paulatim magis magisq́ue ipsimet fastidire incipiunt, vt qui nouerint, eam verè paradoxon esse conflatum ex longè diuersis, & non cohærentibus membris, sine Verbo Dei, & contra doctrinam Christi, Prophetarum, & Apostolorum, eiusque promulgationem iusto Dei iudicio permissam esse, propter scelera & ingratitudinẽ mundi: nec tamen idem dogma perpetuo mansurũ, sed breui funditꝰ interiturũ esse nõ solũ suspicãtur, sed etiã quodammodo certo sciunt, & paulò

lò pòst, perinde vt illorum Maiores, & Antecessores hæretici, re ipsa experientur. Maxima etiam pars præsertim vociferatorum & scriptorum, qui inter eos sunt, iam pridem religionem propriam, vnà cum ipsa Augustana Confessione negligere & deserere pergunt, cùm videant se eam amplius defendere & tueri non posse: sicut apparet ex illis absurdis, puerilibus, & ridiculis scriptis, quibus ad libros Catholicorum tam ineptè & frigidè respondent. Vnde facile est conijcere, nihil præter fæces & rudera amplius apud ipsos restare, & omnia ruinam vndique minari.

Vicesima secunda. Quòd postremò re tota bene considerata animaduerterim, me in Lutheranorum cœtu permanere, & eorum doctrinæ acquiescere non posse, nisi velim per summam impietatem simul damnare omnes pios Maiores nostros, & tot sanctos Ecclesiæ Catholicæ Doctores, qui ante Lutherum extiterunt. Certò enim didici eos cum Romana Ecclesia, doctrina & fide communicasse, & Romanũ Pontificem pro Christi Vicario, & S. Petri

Petri in Paſtorali munere ſucceſſorē agnouiſſe. Certum enim habeo (vt de alijs articulis taceam) eos Sanctorum inuocationē, Reliquiarum venerationem, & Miſſæ ſacrificium approbaſſe: Certum eſt denique, eos in ea doctrina tuenda, & in Romanæ Eccleſiæ communione conſtantes, vſq; ad extremum vitæ ſpiritum permanſiſſe: Lutherani autē Eccleſiam, pro meretrice Babylonica, Romanorum Pōtificem, pro Antichriſto habendum eſſe contendunt: ſanctorum inuocationē, & Reliquiarum venerationem, ac Miſſę ſacrificium, tanquam ſummam idololatriam execrantur. Vel itaque profiteri oportet, oēs Maiores noſtros, & Eccleſiæ Doctores, ac Paſtores hæreticos fuiſſe, atque ad extremum damnatos eſſe, neque quenquam vitam æternam conſequuturum, niſi qui partes Lutheri ſequutus fuerit: vel, ſi Maiores noſtri ſalui facti ſunt, conſequēs eſt, Lutheranos ſaluos fieri, niſi reſipiſcant, non poſſe: Nam ſine fide, eademque vera, vna, & Catholica, impoſſibile eſt placere Deo, & conſenſu

omnium, extra Ecclesiam nō est salus. Ecclesiam intellige, quæ vera est, quæ vna, quæ à Christo ita supra petram ædificata est, vt portę inferi non sint aduersus eam prȩualituræ, quȩ perpetuò est duratura. Quod quomodo in Ecclesiam Lutheranorum conueniat, nō video; cùm ea paucis abhinc annis primùm sit exorta, & breui, sicut non obscurè præ se fert, sit interitura. Quomodo idem fides Lutherana vera esse potest, quæ neq; vna est in se, sed in tot sectas dissecta? neque vna cum Maiorum nostrorum, & S. Patrum fide? Neque enim in toto orbe terrarum demonstrare possunt, vel locum aliquē, vbi eorum fides ante Lutherum prȩdicata fuerit: aut scriptorem vnicum, vel authorem, qui idem per omnia cum Luthero, vel Confessione Augustana senserit & scripserit: licet fatear, in hoc articulo cum illo hȩretico, in isto cum alio, atque iterum alio conuenire, vt suprà dixi.

Quare mihi nulla ratione salutem meam negligendam esse duxi, sed ad antiquæ, veræ Ecclesiæ castra mihi esse conuo-

conuolandum, in qua tot ſancti & præclari Maiores noſtri ſanctè & piè vſque in finem militarunt, vbi ſunt veri Paſtores, vbi verum Dei verbum annunciatur, vera Sacramenta adminiſtrãtur, verus Dei cultus viget, & vera ſalus expectanda eſt. Ad veram itaque ſalutem, ſalutaremq́ue veritatem ſectandam, omnes eodem errore, quo ego fui, faſcinatos inuito: Deumq́ue precor, qui dixit, de tenebris lumen ſplendeſcere, vt veritatis ſuæ luce eorum mentes illuſtrare, & ad ſalutis ſuæ portum dirigere, & perducere ſua benignitate dignetur, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor, & ſeruemus in vna ſpe vocationis noſtræ vnitatem Spiritus in vinculo pacis, Amen.

FINIS.

Quanta sit inter istos huius tempestatis hæreticæ coriphæos, Catholicã Christi Ecclesiam suis furiosis opinionum quasi procellarum fluctibus iactantes discordia, de vno illo SS. Euangelij capitulo, HOC EST CORPVS MEVM, paucis venit pio Lectori exponendum: Cuius variam non minùs quàm dissentaneam istorum Euangelicorum interpretationem ex elaboratissimo Reuerendissimi D. Claudij Sainctesij, de S. Eucharistia opere, mutuamus, nonnihil à nobis auctiorem.

VARIAE

VARIAE ATQVE DISSIDENTES HOSTIVM ECclesiæ Catholicæ, doctrinas dæmonnm, teste D. Paulo, sequentium sententiæ, de illis diuinis verbis Domini IESV, HOC EST CORPVS MEVM, sequenti exponuntur tabella: de quibus Catholici, vt et de cæteris fidei Christianæ dogmatibus semper eadem de eisdem docemus.

1. HIC EST CORPVS MEVM. Quia Hebræi caret neutro genere. Luther in Capt. Babylo: Bremenses notantur à Caluino in vltima admon. contra Vvestph. & in Epitom. collo. Mulbrunen.

2. Hoc est sanguis meus. Beza in annotat. in nouum Testam.

3. Hic siue in hoc loco est corpus meum, Biblia Gallica Geneuæ, & notantur ab Heildebergensibus in conform.

4. In hac actione, non tamen in pane est, & exhibetur corpus meum. Bucerus in suis retractationibus Heildebergen. in Conform. Caluinus locis citatis in examine doctrinæ eius de Cœna Domini.

5. Hæc actio eſt meum corpus, id eſt, ſocietas ſiue communionis Sacramentum in corpore meo. Iohannes Alaſco in tractatu de Sacramentis.
6. Corpus meum eſt hoc, nempe panis. Svuenckfeldius citante Heshuſio, & Petrus Martyr in magno volumine.
7. Corpus meum eſt hoc, id eſt, cibus ſpiritalis, vt Iohann. 6. dicitur, Caro mea verè eſt cibus. Iohan. Langus Sileſius in Comment. ad Apolog. 2. Iuſtin.
8. Hic eſt panis propriè, ac ſine figura eſt corpus meum. Luther de Captiuitate Babylonica, Heshuſius & Bremēſes, vt notatur in Iudicio Melancth. de Cœna.
9. Hic meus eſt panis. Anabaptiſtæ, citante Vveſtphalo, libro recta fides de Cœna.
10. In, cum, ſub pane eſt corpus meum vt pillula in ouo. Brencius cum Sueuicis miniſtris in Syntagmate contra Oecolampadium.
11. Cùm pane eſt corpus meum, vt, cùm, non ſit præpoſitio, ſed aduerbium temporis, & ſignificet corpus capi, quando capitur panis. Vvilhelmus

mus Clebicius libro de cœna, & Brandeburgenſ. vt habetur in diſputatione Heidelbergenſ. habita, anno 1560.

12. Eſt in pane vel cum pane corpus meum, vt non intelligatur locus aut tempus, ſed externum cœnæ ſubiectum remotũ à Chriſti corpore, quod in illo vel cum illo edi dicitur, non tanquam in illo exiſtens, ſed tanquam obiectum cœnæ actionibus circa panem exercitis. Ioãnes Matthæus Smalcalden. lib. de Cœna.

13. Circa panem eſt corpus meum, vt aër circunfuſus. Svuenckfeldius de duplici ſtatu Chriſti, notatur à Luthero in confeſſione Euchariſtiæ.

14. Hoc eſt corpus meum, in panis vſu, ſeu q̃ diu ſumitur panis, in eo eſt corpꝰ meũ. Lutherani & Bucerani in colloquio Vvittenbergenſ. & in concordia anni 1536.

15. Hoc eſt corpus meum, ſpeciali modo exiſtens in pane ad edendum, cum alias vbiq; ſit. Brentiani in diſpẽſatione contra Bullingerum & alios, de omni præſentia corporis Chriſti.

16. Verbis menti demonſtratur corpus, ſicut panis digito ſenſibus, vt propria & non figurata ſit locutio; & tantum demonſtretur corpus, Matthias Illyricus ex Bucero libr. de fideli admonitione.
17. Proferendo panem dico me proferre corpus meum contentum in eo ſine vlla figura, ſicut proferendo burſam dico hoc eſſe argentum. Vvittenbergen. in colloq. Mulbrunen, & Matthias Illyr. in demonſtrat.
18. Tantùm demonſtro corpus meũ, neq; ſignifico panem eſſe corpus, aut factum eſſe corpus meum. Vvittẽbergenſ. in colloq. Mulbrũn. & Matthias Illyr. in Append.
19. In Euchariſtia duabus rebus poſita ſeorſum vna demonſtratur, vt in ferro ignito dici poteſt ſeparatim, hic eſt ignis, & hoc eſt ferrum, ſine figurata locutione.
20. Hic cibus pane & corpore conſtãs eſt corpus meũ, vt ſit propoſitio ſacramentalis, & duas res ſimul coniunctas demonſtret: Matthias Illyr. in Append. Valentinus Erytræus in tabulis

Confeſſionis Auguſtanæ.
21. Hic panis eſt corpus meum, vt non ſit propoſitio naturalis, & ſecundum proprietatem Logicam, ſed ſupernaturalis & familiaris ſcripturæ, quando vult ſignicare res diuerſas inter ſe verè coniunctas, Martinus Kemnicius in repetitione de Cœna, & in examin. par. 2. contra Concilium Tridentinum.
22. Hoc eſt corpus meum, non abſolutè, & in actu primo, ſed in actu ſecūdo, & in operatione & energia. Sceckius in Reſponſ. de duabus naturis in Chriſto.
23. Hoc eſt corpus meum, non in proprio ſubiecto, nec in panis ſubiecto & materia, ſed in obiecto cœnæ & actionum eius: Ioannes Matthęus Smalcaldenſis libr. de Cœna, Svuenckfeldius citante Heshuſio.
24. Corpus hoc eſt meum, vt dixit, deſtruite templum hoc, quaſi demōſtraret, corpus ſuum in naturali ſtatu & ſubiecto. Pontanus in Francia Antractica, citante Villagagone in libro de Euchariſtia.
25. Corpus meum eſt hoc, quatenus
 men-

mensæ accumbit. Carolstad. in dialog. de Eucharistia.
26. Hoc significat corpus meum. Zuinglius in subsidio Eucharistiæ, & alibi, & Beza contra Vvestphalum.
27. Hæc est mea humana natura. Zuinglius in expositione rei Eucharisticæ.
28. Hęc est diuinitas, seu spiritus qui vificat. Zuinglius eadem expositione.
29. Hæc est mors & passio mea. Zuinglius de instit. cœnæ.
30. Hoc est fidei corpus, seu fides de me. Zuinglius libro 2. de institutione Cœna.
31. Hæc est commemoratio corporis mei. Zuinglius in responsione ad Confessionem Lutheri, Oecolampadius ad Theobaldum Bellicanum.
32. Hoc est Symbolicum corpus seu figura veri corporis. Zvuinglius in præfatione ad Regem Gallorum & Principes Germaniæ, Oecolampadius de dignitate Eucharistiæ. Petrus Martyr in tractatu de Eucharistia, Caluinus in consensu cum Tigurinis.
33. Hæc est tessera societatis Christianæ. Zvuinglius citante Bucero in epist.

ad Episcopum Erphordiensem & Heidelbergensem, in Conformit. Cœnæ.

34. Hoc est corpus meum, quatenus pro vobis datur. Zvuinglius in quadã Epistola, & Oecolampadius ad Theobaldum Bellicanum.

35. Hoc est signũ quod admonet vos, quomodo corp9 Christi pro vobis traditum vos viuificet. Oecolampadius de dignitate Eucharistiæ.

36. Hoc est Symbolum, quod testatur vos ab vno eodemq; corpore esse redẽptos. Oecolampadius ad Ecclesiastas in Sueuia.

37. Hæc est protestatio & μνημόσυνον meorum beneficiorum. Bucerus in Apolog. de doctrina cœnæ dominicæ.

38. Hoc est corpus meum, quod do vobis animo edendum, sicut panem ore. Petrus Martyr in tractatu de Eucharistia, Bucerus in caput 26. Matthæi.

39. Hoc est corpus meum paneum. Cãpanus à Luthero notatus in Confessione de Eucharistia, & à Marcione sumpserat.

40.Hoc eſt Symbolum ſacrum gratiæ & redemptionis meæ, quod poſt me vobis relinquitur, Bullingerus in cap. 10.prim.ad Corinth.
41. Hoc eſt teſtimonium & obſignatio corporis pro vobis traditi. Bullingerus in tractatu de Eccleſiæ Sacramentis.
42. Hoc eſt myſticum corpus meum, ſeu Eccleſia ſanctorum redempta meo corpore.Bulling. in tract. de Eccleſiæ Sacramentis, Caluinus in cap. 5. ad Epheſ.
43. Hoc ſacramento ſignificatur paſſio & mors mea, ac communio cum omnibus Sanctis, Bulling. in tract. de Eccleſiæ Sacramentis.
44. Hæc cœna eſt teſſera & arrabo corporis mei,Stancarus in Polonia & Trãſyluania,vt notat Staphylus de Lutheranorum concordia.
45.Hoc eſt verbum meum, cui credatis,Miniſtri Antuerpien. in libello de ruina Rom.Eccleſiæ.
46.Hic panis eſt teſſera nuda communitatis,& nudum teſtimonium participati corporis, Svuenckfeldius,vt citant

tant Heildebergen. in Confor. Cœnæ.
47. Hic panis est signum efficax corporis mei & participationis in eo, Caluinistæ, & Heildebergen. in Conform.
48. Hoc admonet vos, de corpore Christi edendo per fidem Silesiorum Confess. citata à Luthero in magna cõfessione de Eucharistia.
49. Hic festus dies, seu Ceremonia ista, est commemoratio seu gratiarum actio pro corpore meo passo, Vrbanus Regius in Epistola Zuinglij ad ipsum.
50. Accipite, edite quod pro vobis datur, est corpus meum. Notatur à Luthero in Confess. de Eucharistia, Caluinus in 2. defensione contra Vvestphalum.
51. Hoc est corpus meum in diuinitatem transformatum, Svuenckfeldius de duplici statu Christi, notãte Luthero de Confess. Euchárist. & Staphylus de Lutheranorum concordia. De eodem notatur Seruetus à Beza.
52. Hæc est societas vobis gratuito de lata, ius & vsus illius in meo corpore. Ioannes Alasco in tractat. de Ecclesiæ Sacramentis.

Hæc eſt communio in meo corpore non iuxta ſubſtantiam ſuã naturalẽ ſed iuxta meritum paſſionis meæ & mortis, ac gloriam admirandæ reſurrectionis. Ioan. Alaſco apud Melãcht. in iudicio de Cœna Domini.

54. Hæc eſt qualitas mei corporis vobis delata, à quibus ſubſtantiam accepi. Idem Ioan Alaſco in tractatu de Eccleſiæ Sacramentis.

55. Hæc eſt cœnæ inſtituta forma, Ceremonia, ipſaque extrema actio. Ibidẽ.

56. Hæc eſt viſibilis extremæ meæ volũtatis conteſtatio. Ibidem.

57. Hæc tota cœnæ actio ſymbolũ eſt non tantum corporis & ſanguinis, ſed mortis & effuſionis, quæ facta eſt pro vobis. Viretus libro 7. de Sacramentis cap. 9.

58. Hoc eſt corpus meum ſi fides adſit, hypothetici nominati, ab vnicornio in Iudicium Melanch. de Cœna.

59. Hæc eſt participatio corporis mei, ſi fides adſit, ſin minus, oblatio quæ recuſatur ab indignis. paſſim Caluinus & Caluiniſtæ.

60. Hoc eſt teſtimonium in corpore meo. Heildebergenſes in Conformitate cœnæ: & Calui. ſępe.
61. Hoc eſt corpus meum, in cælo poſitum tam diſſitum à pane, & à vobis, quam cælum à terra. Caluinus in Heſhuſ. & Beza in 1. declam. Piſſiaci habita, atque alibi.
62. Hic eſt canalis ſpiritus ſancti, per quem quicquid eſt Chriſtus ad nos deſcendit. Calui. libr. 4. Inſtitution. ca. 17. num. 12.
63. Hic eſt canalis corporis mei. Bucerus in epiſtola ad Epiſ. Erphordienſ.
64. Hæc caro eſt canalis vitæ. Caluin. libr. 4. Inſtitut. cap. 17. num. 9. & in cap. 6. Iohann.
65. Hic panis eſt inſtrumentum, quo Chriſtus nobis ſuum corpus diſtribuit. Caluinus lib. de Cœna.
66. Hæc eſt virtus & gratia ſpiritalis mea. Caluinus in cap. 26. Matth. Pauperes ſemper habebitis vobiſcum.
67. Hoc eſt abſtractum quid à ſubſtantia corporis mei. Caluinus in ratione ineundæ concordiæ.

68. Hic panis eſt corpus meum, Sacramentali locutione & coniunctione per Metonymiam ſigni & ſignati, Caluinus & Beza in Heshuſium.
69. Hic panis eſt Symbolum defluentis qualitatis alicuius, & virtutis à corpore meo, quæ in cœna per fidem extra panem recipitur. Eò recidunt omnes Caluiniſtæ, Catholicorum argumentis oppreſſi, Liber anonymus, ſub perſona veri Catholici æditus, 1572.
70. Hoc eſt corpus meum, viſibile Sacramentum corporis inuiſibilis, ſeu hæc eſt viſibilis ſpecies panis, Sacramētum inuiſibilis corporis, tanquam ex magiſtro ſentētiarum citat falſo libellus ille anonymus.
71. Hoc eſt veriſſimum corpus Chriſti, & verba ſonant, Calui. libr. 4. de Inſtit. cap. 17. num. 3. & in cap. 11. prioris ad Corinth.
72. Hoc eſt corpus meum ibi, vbi eſt panis, Caluinus libro 4. Inſtitut. ca. 17. num. 10.
73. Hoc eſt ſymbolum, quo vera corporis mei communicatio exhibetur fidelib⁹, Buçerus ad amicum quēdam,

Bulling.in cap.10.1.ad Corinth.Caluinus libr.de cœna & confeſſione cum Tigurinis.
74. Hoc ſymbolum eſt & teſtificatio, quæ ſpiritales gratias figurat. Caluinus in Catechiſmo.
75. Eſt obſignatio ſeu confirmatio gratiæ iam receptæ. Caluinus libro 4. Inſtitut.cap.14.
76. In hac cœna quatenus eſt cœleſtis actio, & non quatenus eſt externa & terreſtris, eſt corpus meum. Caluinus in Heshuſium, Heidelbergen. in Conform. & Beza in Apologia ad examen doctrinæ Caluinianæ de Cœna.
77. Hoc eſt Symbolum promiſſionis meæ de carne mea. Caluinus in ratione ineundæ concordiæ.
78. Hæc eſt ſubſtantia corporis cũ gratia, energia, & efficacia inſeparabili. Vſienergiſtæ dicti, apud vnicornium in Iudicium Melanchthonis.
79. Hæc eſt communicatio vel participatio corporis, quaſi per Apoſtolum ſermo Chriſti explicetur. Beza contra Heshuſium.
80. Hæc vnio cum tota perſona Chri-

sti, vt corpus significet, quidquid est Christus. Beza in solutione 17. contra Illyricum.
81. Adest corpus meum spiritali præsentia & participatione. Caluin. lib. 4. Instit. ca. 17. & in ca. 4. ad Ephesios.
82. Hoc est corpus meum sine diuinitate & sanguine. Post Nestorium oēs nostræ ætatis negantes, concomitantiā naturarum in sacramento: ne admittant communionem sub vna specie, et adorationem in Sacramento. Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17. num. 37.
83. Hoc est corpus meum, sub ratione immolationis, siue, hæc est communicatio passionis & immolationis meæ, Carol. Molinæus in Annotat. ad suam harmoniam.
84. Nihil interest, siue sit corpus, siue non sit: Nam non est articulus fidei, nec de eo est digladiandum. Citat de quibusdam Lutherus in Confessione Eucharistiæ, eoque inclinat Melanchthon, & via prona, ad Alcoranum ait Staphylus de Lutheranorum concordia.

35. Sacramentale & mortuum, vitaq; destitutum funus & cadauer, quod Testamento propriæ conuenit: viuum enim corpus in cœlis est, in cœna verò Sacramentale & mortuum. Iohannes Campanus Maes-Eykens. libello ad R. D. Vvilhelmum Lindanum Episcopū, anno 74. examinis caussa misso.

Hactenus igitur variæ istę atq; pugnātes, ideoq; falsæ de illis diuinis Christi Domini verbis, HOC EST CORPVS MEVM, istorum nouorum magistrorum sententiæ.

FINIS.

N.V.5





bieżący

dawnego inwentarza

P

